

DESCRIPTIONIS INDIÆ OCCIDENTALIS,

LIBER SEPTIMUS.

GUATIMALA.

CAP. I.

*Descriptio hujus Provinciae sive Conventus Juridici in Communi,
& quando & à quibus singulae provinciae pri-
mum fuerint inventae.*



20 **N**OVÆ HISPANIÆ, quemadmodum hodie ab Hispanis accipitur pro Conventu Juridico peculiari, contermina est Provincia seu Conventus Juridicus *Guatimalæ*, ab urbe & provincia principali ita agnominatus, postquam Iudices regii fixas sedes in civitate *S. Jacobi de Guatimala* posuissent; ante enim *Audiencia de los Confines* dicebatur, & longe angustioribus limitibus continebatur; quippe non nisi *Nicaraguæ* & *Guatimalæ* provincias comprehendens. Hodie autem quicquid terrarum inter extremos *Tecoantepeces* fines & extimos *Costa Rica* limites versus ortum interjacet, hujus Conventus
30 Juridici tribunali subjicitur. Ita ut secundum orarum quidem ductum ad Mare Pacificum sive meridionale, supra trecentas leucas inter Eurum & Corum in longitudinem se extendat, secundum rectam verò lineam inter ortum & occasum haud supra ducentas & quadraginta: nimirum ab octuagesimo quarto longitudinis gradu ad nonagesimum octavum, facto initio à Meridiano Toletano, ut fere numerat *Herrera*. Latitudo illius valde inæqualis est, ubi autem latissima est hæc provincia, patet centum & octuaginta leucas, nisi forte *Herreram* ratio hic fefellerit. Atque ita sumpta provincia & intra hos limites, complectitur tredecim provincias particula-
40 *Nicaraguam*, *Taguzgalpam* & *Costam Ricam*. In quibus provinciis omnibus indigenæ barbari jam olim quam plurimis & diversissimis linguis utebantur, quod inter *Satanæ* stratagemata à religiosi Hispanis refertur, quasi hac infinita linguarum diversitate, continuas dissensiones & sævissima bella inter vicinas gentes aluerit.

Porro hæ provinciae diversis temporibus & à diversis primum fuerunt inventæ; Nam *Gil Gonzalez Davila* primus anno MDXXII adiit *Nicoyam* cujus indigenæ statim fidem Christianam amplexi, idola aurea quæ possidebant, præfecto ultro tradiderunt. Deinde & *Nicaraguam* est ingressus, & ejusdem Regulum permovit ut cum aulicis suis fidem Christianam amplecteretur: mira autem narrant Hispani de hoc Regulo, quæ si vera sunt, longe majores reliquias luminis illius naturalis, & cognitionis divinæ ipsum habuisse necesse esset, quam fere usquam hætenus apud barbaros fuerint inventa: Quærebat enim ex Hispanis, utrum Christiani quicquam accepissent de diluvio, & an aliquando alterum esset futurum? utrum terra aliquando verteretur, an vero cælum est ruiturum? quando & quomodo Sol & Luna splendorem suum & cursum essent amissuri? Quis illa luminaria contineret & moveret; Quis honor Christianorum Deo qui condidit cælum & terram deberetur? Et quandoquidem animæ essent immortales, ubi à corpore separatæ futuræ essent &

Her. d. 3.
l. 4. c. 5.

T

quid

quid actura? Utrum Vicarius Christi quem commendabant ipsi, & Imperator Rex Castellæ mortales essent? Denique cur tam pauci mortales tantum auri siti-
rent?


d.3.l.6.
c.10.

Honduras primus quidem viderat Columbus; sed hæc provincia, ut fere reliquæ, auspiciis *Hernandi Cortesii* à variis tribunis militum fuerunt lustratæ; quædam etiam maximam partem ab ipsomet Cortesio; nam ut Tribunorum Christophori de Olid, & Petri de Alvarado expeditiones jam præteream, quorum ille *Honduras* ex parte lustravit, hic *Guatimalam* domuit; ipsius Cortesii ab anno 1519, usque ad Aprilem anni 1521 memorabilem expeditionem haud possum silere. Cortesius itaque cum centum & quinquaginta equitibus & totidem delectis peditibus, & tribus millibus barbarorum è metropoli Mexicana profectus mense Octobri, primò pervenit ad *Guazacoalco*, atque inde cum summis annonæ difficultatibus conflictatus, attingit *Aquiavilco*, atque deinceps *Copilco* caput illius provinciæ, & per *Anavaxacam*, trajecto flumine *Quitizatlan* sive *Gryalva*, penetravit in provinciam Tabascensem. Transit deinde ad *Chilapan*, *Tamaztepec*, & *Yztapan* atque *Tanytatan* & denique *Huatecpan*; Unde primo per asperrimos montes, dein & per uliginosa loca cum summo discrimine petiit provinciam *Acalan*, & iter faciens per *Tizatpetlan*, *Titacat*, tandem pervenit ad *Yzcancanac* municipium populosum & illius provinciæ caput. Hic paucos dies moratus perrexit ad *Mazatlan*; & per *Tiac* transit ad provinciam *Taycam* cujus principale municipium in exigua insula situm erat, parens Regulo cuidam cui nomen erat *Canec*. Ventum inde per impeditissimam viam ad *Tlecan*, unde promoventes per asperrimos montes cum tanta fame sunt conflictati, ut nec (horrendum dictu) à mortuorum sociorum carnibus abstinerent, donec attingerent *Teucix*, atque *AzuZulin*, & tandem *Nito*, ubi Gil. Gonzales jam coloniam Hispanorum collocaverat; distabat hic locus viginti leucas à *Naco*. Itinerumque ratione subductâ, paruit Cortesium cum exercitu inde à Mexico ad *Nito* supra quadringentas leucas absolvisse. Hinc jam per nota itinera ad sinum *S. Andreae* pervenit, ibidemque municipium collocavit, *la Natividad de nostra Sennora*; & demum in *Truxillo* conquivit. Atque hæc compendio de Hispanorum expeditionibus in has provincias dicta sunt.

C A P. II.

De Cacao fructu hisce provinciis pene peculiari, & de Chocolate.

L I B R O quinto quum de Nova Hispania ageremus, præcipuas arbores fructiferas & agrestes descripsimus, quæ hisce quoque provinciis, de quibus nunc nobis sermo est, communes sunt; itaque tantum agemus de una arbore quæ fert famosissimum illum in toto hoc Americæ Septentrionalis tractu fructum, qui vulgo appellatur *Cacao*; cujus fructus Iconem hîc ad vivum expressam adjungimus.



De hoc fructu ita *Acosta*. *Cacao* fructus minor est amygdala, sed compactior, totusque non ingrati saporis; tanti non modo à barbaris sed & ab Hispanis fit, ut inter ditissima commercia in Nova Hispania meritò annumeretur; nam quum siccior sit fructus, diu conservatur nec facile corrumpitur, & majores aliquot naves hisce fructibus onustæ è provinciis *Guatimale* singulis annis solvunt; & superiori anno pyrata quidam Anglus in portu Novæ Hispaniæ *Guatulco* supra centum milleargas exussit (loquitur de anno 1538 quo *Thomas Candisus* dictum portum inopinato ingressus quadringentos saccos se combussisse prodidit.) Hisce autem fructibus in hisce provinciis passim utuntur pro nummis; una quippe tres quinque, alia triginta, alia centum cacais venundatur; eisdem & pauperibus in Eleemosynam erogant. Sed principalis usus est in potu quem ex illis conficiunt, *Chocolaten* vocant, insanum in modum ab incolis harum regionum dilectum, & in summo precio habitum; quum iis qui non assueverunt, spuma supernatans & fecum instar ebulliens merito
nauseam

nauseam moveat: hoc potu indigenæ hospites suos, etiam magnates, excipiunt; hunc Hispani, sed magis Hispanæ, ita depereunt ut postquam semel illi assueverunt, se sine ullo vivere posse negent. Hunc potum variis modis ita miscent, ut unus calidior, alter frigidior, tertius denique inter utrumque medius sit; nam & aromata admiscent varia & præsertim multum piperis sive Axi; etiam pastam quandam ex iis componunt, quam pectoris & stomachi vitiis, atque catharris mederi volunt, licet apud eos quibus hæc opinio non est veluti agnata, difficulter inveniat fidem. Passim integros harum arborum lucos colunt, uti in Hispania Vineta aut Oliveta, maxime autem illis abundat *Guatemala*. Hæc ille.

10 Sed antequam plenior descriptionem hujus arboris prosequamur, à *Fr. Ximenez* jam sæpius à nobis nominato, acceptam operæ precium fuerit, ramum arboris cum integro fructu hic apponere.

Indigenæ harum regionum (inquit *Ximenez*) ante Hispanorum adventum, *Cacao* fructibus loco numismatum utebantur, hodieq; multis locis usurpant. Ex iisdem potum suum conficiebant, vini ignari, licet non

20 paucis locis vites, sed silvestres, nascantur: Est autem *Cacahuahuatl* arbor magnitudine & foliis aurantiæ, sed majoribus (*Herrera* comparat *Castanæ* frondibus;) fructus illius est longus & similis peponi, verum stryatus & rufus, qui dicitur *Cacahuacintli*, plenus illis *Cacao* nucibus (quas supra exhibuimus)

30 quæ divisæ sunt in duas partes æquales & bene compositas atque conjunctas; teneri sunt nutrimenti, saporis inter dulcem & amarum medii, temperie nonnihil frigida & humida. Quatuor, quantum potui observare; hujus arboris reperiuntur species. Prima vocatur *Cacahuahuatl* quæ omnium maxima est & copiosissimos fert fructus. Secunda ejusdem nominis, mediocris magnitudinis, frondes & fructus ferens longe minores. Tertia appellatur *Xuchicacahuahuatl*, adhuc minor, cujus fructus exteriori parte magis rubet, interiori cæteris similis. Quarta omnium minima: ideoque *Tlalcacahuahuatl* dicitur, id est, humilis sive pumila *cacao* arbor, quæ fructum fert omnium minimum, licet colore nihil differat à cæteris. Omnes autem hi fructus easdem obtinent qualitates & eosdem habent usus, licet postremus fructus potissimum in potionibus usurpetur, cæteri commercii magis sunt apti. Ad has species quoque referri potest arbor quæ vocatur *Quahzapatlatli*, verum longe major est arbor & majoribus foliis, fructusque illius qui durior est cæteris loco amygdalarum sumi potest, & prius tostus utilis est ad tragemata, ad potiones planè est inidoneus. Nascitur in regionibus mediocriter calidis, locis riguis & aquosis; solent ex illius fructibus per se, sine aliorum mixtione, potionem conficere & exhibere iis qui

50 acutis morbis laborant, valde enim utilis est ad calorem mitigandum; itemque iis qui calida intemperie hepatis laborant. Quatuor hujus *cacao* nucibus cum gummi *Olle* sive *Vlle* (de quo alibi diximus) mixtis & haustis, mirifice sistuntur sanguinolentæ dejectiones; (possunt autem tam nuces illæ, quam gummi istud, primo nonnihil torreri;) quia fructus illi adeo pingues sunt ut facile oleum ex illis possit exprimi, & gummi admodum tenax est & glutinosum. Immodicus usus potionis è *cacao* confectæ, plurimarum infirmitatum & morborum causa est; quia generat obstructions,

lib. v.



lib. v.

corrumpit colorem, & inducit Cacoehymiam & similes prava affectus. Fiunt autem ex hisce fructibus varia potiones, prout varia res ipsis admiscuntur, quas operæ precium erit hic describere. Prima potio appellatur *Atextli* (quasi dicas potionem humectantem) ea fit è centum aut circiter fructibus *cacao*, crudis vel tostis, sed probe comminutis, mixtisque cum totidem granis *Mayzii* (sive *Tlaolli* ut vocant Mexicani:) aut si potione hanc magis compositam velint, addunt & alios fructus sive *Mecaxuchitl* sive *Tlilxochitl* sive *Xochinacaxtli*: de quibus jam supra egimus: mittuntque in vas grande, & transfundunt eousque donec spuma se attollat & partes magis pingues & oleosæ supernatent, atque ita demum hauriunt magis liquidum: at separatim bibi potest cum majori gustu & voluptate. Simplex enim potio refrigerat & nutrit insigniter. Cõficitur & altera potio, sumendo xxv fructus *Cacahuapatli* & totidem *Cacahuaguahuitl*, & pugnum *Mayzii*, cui nihil calidorum fructuum aut aromatum solent adjicere, hæc quoque probe nutrit & refrigerat. Tertia est illa quæ appellatur *Chocolate*, jam satis omnibus nota, quæ variis modis componitur pro cujusque appetitu, de qua hoc tantum dicemus quod præclare nutriat: verum si nimis crebro & immoderate sumatur, debilitat & alia præterea adfert detrimenta, de quibus jam ante diximus. Non explicabimus componendi modum, quia nimis variat, tantum notabimus quo pacto usurpetur: aqua limpida in vase admoveatur igni donec ebulliat, deinde sumitur *Chocolates* quantum lubet, inditurque vasi argillaceo, & superinfusa aqua illa fervente, tantisper ligneo instrumento, quod vocant *molinillo*, agitur, donec resolvatur penitus & partes pingues & oleosæ supernatent, quas despumatas seponunt; dein cum reliquo liquore miscent *Atole* (cujus componendi modum statim explicabimus) & postquam defervuerit, addita de novo illa pinguedine, hauriunt è *Tecomate* (quod est vas è Coci nuce aut fructu illo quem alibi descripsimus efformatum.) Est & aliud potionis genus quod vocant *Tzene*, ea componitur ex æqualibus *Mayzii* & *Cacao* portionibus, prius tostis, & coquitur cum pauxillo *Mayzii* ebulliti, donec potui sit apta.

Solent denique juxta arbores *Cacaoferas* collocare aliam arborem, quam vocant *Atlynam*, ut illas in umbra, & à ferventibus solis radiis defendat, nam ad nihil præterea utilis est quod sciam. Hactenus *Ximenes*.

CAP. III.

Digressio de Mayzio & illius facultatibus & multiplici usu.

MAYZII jam sæpe meminimus & porro sæpissime illius mentionem facere erit necesse, quare hic potissimum post *Cacao*, de illius qualitatibus & multiplici usu agere non incongruum putavi. Iconem hujus plantæ & descriptionem siquidem notissima est, prætermitto. Differentiæ illius (sequor hic *Fr. Ximenem*) sumuntur fere à spicarum (quas vulgo *Mazorcas* vocant) colore, qui multum variat; nam aliæ sunt colore candido, aliæ rubro; aliæ pene nigro, aliæ purpureo, aliæ cæruleo, aliæ multis coloribus variegatæ; (de exteriori granorum cortice intellige, nam polenta candidissima est.) Seritur mense Martio hoc modo; terra prius bene subacta, fiunt scrobes passus unius intervallo, quibus induntur iv aut v grana: cogitur autem mense Novembri aut Decembri, longe minore labore quam triticum: pro soli autem cœlique varietate, alibi quatuor, alibi tribus mensibus, nonnusquam & quinquaginta diebus maturescit. Porro si ullum far à Deo conditum, temperatæ facultatis & eximii nutrimenti, id haud dubio erit *Mayzium* (Mexicanis *Tlaolli*, Europæis far *Indicum*;) neque enim calidum est neque frigidum, sed inter utrumque medium: item nec humidum neque siccum, sed temperatissimum inter utrumque, multo minus est substantia grossa aut viscida: quare falluntur illi qui crasso & viscoso nutrimento esse judicaverunt & obstructions gignere opinantur. nam in barbaris qui perpetuò illo utuntur, contrarium deprehendimus, nunquam enim laborant obstructions aut pravo sunt colore. sed contra testantur facile digeri & appetitum cibi acere; quini- mo ante Hispanorum adventum *Nephritis* hic ignorabatur: denique nullum præstantius remedium inter barbaros reperitur adversus morbos acutos. Quod & experientia abunde testatur: nam *Mayzium* in aqua coctum nutrit corpus sufficienter, & concoquitur sine ulla difficultate aut noxa; lenit pectus, mitigat calores febrium, & præcipue pulvis radicū aqua maceratus & vespertino frigori expositus, & postea haustus.

Hippo-

Hippocrates prioribus capitibus de victus ratione in morbis acutis, supra modum commendat Phtisanam, quæ est potio sive pulvicula cocta ex hordeo, quam ægris utilissimam esse demonstrat, quia facillime digeritur, neque generat flatus, mundat corpus, estque nutrimentum humidum & frigidum, exiens cum summa facilitate è ventriculo & sponte se spargens per venas & alias partes corporis. Verum si ex Hippocrate fuisset quæsitum, an Phtisana illa omnibus morbis & singulis hominum complexionibus, ætatibus, adeoque omnium ventriculis conveniret; haud dubio responsum fuisset, non omnibus congruere.

10 Quanto itaque major laus debetur nostro *Atole*, siquidem non modo laudabilis & salubris est cibus, sed etiam securè exhibetur sanis juxta atque ægris, adolescentibus & senibus, maribus & fœminis, cujuscunque complexionis; denique in omnibus omnino morbis sine ulla noxa aut molestia. Præterea dicitur urinam movere & mundare meatus. Quandoquidem ergo Mayzium, si ut convenit sumatur, mille adfert commoda, nullum detrimentum (nisi dicatur sanguinem nimis augere & bilem) nequaquam audiendi sunt illi, qui affirmant calidius esse tritico, & difficilius concoqui atque obstructiones generare; sed potius sequendi Medici Mexicani qui abdica- ta Phtisana uti ægris ingrata, *Atolen* introduxerunt, de cujus variis generibus & modis quibus fiant, jam breviter dicturi sumus.

20 *Atole* Indorum est Mayzium molitum, & aqua subactum & in eadem dissolu- *Atole.*
tum & ebullitum ad modum pulviculæ tenuis, vel potius amyli. In conficiendo au-
tem hæc est diversitas; quod alii sumant Mayzium crudum & tantummodo moli-
tum: alii prius coctum cum calce, hoc modo; sumunt aquæ partes octo, Mayzii sex,
calcis unam; quæ simul in vase argillaceo bene cooperto imponuntur prunis, donec
grana mollescant; tum ab igne arcentur & obturantur panno, ne vapor exeat; denique
moluntur super lapidem, quem vocant *Metatl*, & rursus admoventur igni in eadem
olla, donec densentur ad modum supradictum, vocant *Tztae Atole*, id est, candidum.
Utraque autem species *Atoles*, non mixta cum alia aliqua re calida aut frigida, est
temperatæ qualitatis uti ipsum Mayzium, moderateque refrigerat & humectat cor-
pora quæ aliquam intemperiem calidam aut siccam patiuntur: lenit pectus, nutrit
30 eximie, corroborat & saginat corpus debile & extenuatum, restaurat vires & nonni-
hil abstergit; & utilissime præbetur infirmis atque adeo physicis; supplet vicem Phti-
sanæ & addit vigorem iis qui è gravibus & diuturnis morbis convalescunt. Solent qui-
dem *Atolæ* addere paucillum *Chilles* (sed non convenit nisi sanis aut qui frigidis affe-
ctibus laborant) atque ita gratissimus est cibus, atque excitat appetitus venereos. Utuntur
hoc cibo Hispani juxta atque Indi per totum diem, tam valentes quam ægrotantes, sed
præsertim mane. Etiam aliam speciem *Atoles* usurpant quæ quidem fit ad eundem mo-
dum, sed jam factè inspargitur paululum *Chilles* viridis & tomates, ut vocant, & nonnihil
salis; quas tres res alii quidem prius dissolvunt in aqua, alii per se admiscunt ipsi *Atolæ*.

40 Solent & aliam speciem *Atoles* componere, quam Mexicani vocant *Xoco-atole* id est
acidam, quæ fit una libra fermenti & duabus libris Mayzii cocti & fracti eo modo
quo diximus, simul mixtis. Fit autem fermentum hoc modo; sumunt Mayzium ni-
grum, & cogunt in massam, & servant IV aut V diebus donec acescat, & tunc miscunt
cum *Atole* ut hauriat acrorem palato gratum, & postquam transfuderint in aliud vas,
adjiciunt salem & *Chillen*. Hæc species datur jejunis ad corpus mundandum, pro-
moveret enim urinam & solvit alvum. Idem fermentum aqua frigida dilutum & hau-
stum, egregie reficit corpus, quando aut valide æstuat, aut defatigatum est, aut alio-
quin ab itinere aut labore nimis calefactum: Infantibus quoque datur quum æstuant,
aut urina illorum ita inflammata est ut *Cuticulam* adurat aut abradat.

50 *Chillatole* fit ex *Chille* & *Atole* mixtis ad eundem modum; nisi quod Mayzio jam
dimidia pene parte cocto demum tantum *Chilles* aquâ dilutæ admiscetur, quantum
qui haustus est palato suo gratum judicat; sumitur mane adversus frigoris asperita-
tem; corroborat ventriculum expellendo pituitam quæ illi solet adhærescere; pur-
gat renes, & expellit quæcunque impedimenta. Admiscunt ad eundem modum
Chillen & mel, vocantque *Nochil-Atolen*; intendit calorem naturalem, & excitat
venerem.

Tzquiatole est alia species, quæ fit ex phaseolis coctis cum *Chillatole* & herba
quam

Epazotl. quam vocant *Epazotl* (quæ vulgaris est in hisce regionibus) foliis oblongis & in ambitu ferratis, odoratis & calidis in tertio gradu, quorum decoctum usurpant ad pectus corroborandum in Astmaticis; aperit enim obstructa & dat utile nutrimentum: Solent quoque herbam crudam, atque coctam cibus admiscere lococondimenti: nutrit egregie, mundat sanguinem & expellit noxios humores.

Chian. *Chiantole* fit è semine *Chian* moderatè tosto in *Olla*, dein contuso; quod toto anno servant ad hunc usum; herba quæ hoc semen fert vocatur *Chiantzotzolli*, foliis hederæ caulibus quadrangularibus, sesquipalmum altis, floribus candidis & tenellis, vasculo quodam coopertis, in quibus generatur semen album instar lentis, quod est frigidum aut moderate calidum, & salsum; è quo præparato cum Saccharo fiunt cupediæ; & potiones commodæ ad refrigerandum, quibus solent addi amygdalæ purgatæ, & semina melonum, aliaque. Miscetur idem semen in pollinem redactum, cum mayzio tosto ac fracto, & diu incorruptum servatur; quando autem necessitas exigit, porum ex illo conficiunt; & interdum illi addunt succum *Magney* coctum, (qui nihil fere distat à nostro melle) & pauxillum *Chilles*.

Tlamiz. Fit itidem potio, quam vocant *Tlamiz*, ex exigua parte mayzii & majore *Chilles* siccæ, simul fractis & mixtis, addito pauxillo herbæ *Epazotl*: admoventur tantisper igni donec herba percoquatur, quod brevi fit: potio hæc haurienda est calida ut efficacius operetur; excitat venerem, movet urinam & menses, additque calorem & robur toti corpori.

Tolatole componitur ex ipsa mayzii spica, (postquam grana jam demta sunt,) ambusta & in cineres redacta; horum uni parti, addunt tres partes ipsius farris, & molunt simul coquuntque; & ubi in aliud vas transfusa fuerint, addunt *Chilcoztli* (quæ est species *Chilli* sive *piperis* Americani, croceum colorem fundens) hæc potio prodest iis qui nimio sanguine abundant.

Xocoatl. Solent quoque parare potionem, quam vocant *Xocoatl*, quasi dicas aquam acidam. Sumunt Maizium coctum & in massam coactum, & aquæ inditum relinquunt noctu sub dio, & exprimunt mane: hujus expressæ decem unciaæ aut circiter aliquot diebus jejuno ventriculo haustæ, temperant mirificè ardorem urinæ, & refrigerant quodvis genus caloris.

Deinceps consideremus quam facile & quam celeriter è mayzio panis fiat: nam triticum prius molendum, cribrandum, in massam redigendum, fermentandum, in furno idoneo coquendum; horum nihil necesse est fieri in Mayzio: molitur supra lapidem, & supra eundem cogitur in massam & fit panis; nihil opus est sale aut ullo fermento sed solummodo aqua; & statim torretur in patina argillacea, & panis ita calidus editur cum singulari voluptate; atque hæc omnia tam brevi tempore perficiuntur, ut convivæ sæpe mensæ accumbere incipiant & panis adhuc coquendus nullam ipsis moram adferat. Modus hujuscemodi est: Macerant primum grana ut mollescant, deinde inter palmas utriusque manus terendo frangunt, & formant placentulas rotundas, teneras & mediocris magnitudinis; tum patinæ argillacæ grandi & patulæ impositas admovent igni, aut prunis ardentibus superponunt; atque hic usitatissimus est modus. Alii easdem placentas longe majores formant & orbiculares ad modum pilarum, & in olla coquendas igni admovent, addentes iis phaseolos ut teneriores evadant; has placentas vocant *Tamales*. Quin etiam è maizii polline percolata componunt in usum potentiorum placentulas ita teneras ut pelluceant instar pergameni: & ad eundem modum pilas, quæ licet crassiores sint, ramen pellucere videntur.

Atque hæc quidem de farre absoluto & maturo: Etiam spica quum primum germinare incepit in scirpulo foliorum, quod vocant *Xilotl*; & granum quum formari incipit & in suo veluti lacte est, & postquam collectum fuerit victui servit & voluptati, ebullitum aut assum; ita ut etiam in hoc reliquis frugibus præstet, quæ nullius sunt usus antequam plene maturuerint, quum hoc far etiam informe, & antequam maizii nomen mereatur, utilissimum deprehendatur. Non solum autem spicæ mayzii, sed & cannæ utiles sunt, nam è viridibus conficiunt mel nigrum præstantissimum: eadem ustæ & in pulverem redactæ, mixtæque cum *Terebinthina*, mirabiliter curant capitis infirmitatem, quam veteres vocant *Opiasin*. Ne spica quidem

quam

quam planta in summitate sui exerit, usu vacat (*Miabiu* vocant barbari) nam in summa necessitate panem ex illa coquunt. Folia denique illius præstantissimum pabulum equis subministrant.

Neque prætereundum est genus panis, quod *Chichimeca* barbari in furno subteraneo coquunt; solent hi quum ferinam carnem coquere volunt, scrobem effodere & lecto è lapidibus strato, lignis implere, eaque accendere, dein extincta flamma, ipsis prunis aut candentibus lapidibus carnem imponere, massa è mayzio coacta tectam; cooperiunt deinde aliis lapidibus candentibus & scrobem occludentes, relinquunt quandiu ipsis videtur necessarium ut percoquantur; denique tam carnem
10 quam massam exemptas comedunt cum summa voluptate. Quem carnem sub terra assandi modum jam Hispani qui in Nova Hispania degunt, cœperunt imitari.

Sed jam in viam redeamus, & singulas hujus Præfecturæ provincias perlustremus.

C H I A P A.

C A P. IV.

Descriptio provinciæ Chiapæ in communi.

20 **E**PISCOPATUS & Provincia *Chiapæ*, in mediterraneis sita est, & ad Austrum *Soconusco*, quæ provincia ad Mare Meridionale sive Pacificum jacet, clauditur, ad occasum extremis Novæ Hispaniæ finibus, ad ortum Solis & Septentriones *Tabasco* & provincia *Vera* pacis: patetque in longitudinem inter ortum atque occasum leucas quadraginta, & paulo pauciores in latitudinem. Incoluerunt illam olim quatuor nationes, linguis plurimum inter se diversæ, *Chiapanenses*, *Zoques*, *Zeltales* atque *Quelenes*.

Regio hæc proceras admodum fert pinus & Hispaniensibus omnino similes, nisi quod rariores fructus ferant: præterea cupressos, cedros, quercus suaviorum glandium feraces: Lentiscos grandiores, myrtos minores Hispaniensibus, sed fructibus
30 grandiusculis: Juglandes frequentissimæ opacis silvis vestiunt montana, quarum materies ad plurimos usus adhibetur, sed nuces sunt Europæis longe minores: Vites hic silvestres multæ, sed uvæ acerbiores, utpote incultæ. De quibus audiendus *Franc Ximenez*. Nascuntur (inquit) multis locis Novæ Hispaniæ Labruscæ sive vites sylvestres, (*Mexicani* vocant *Totolotli* & *Hualchihiltic*) verum ad nostra usque tempora gentes istæ illas colere neglexerunt, uvarum usum ignorantes, licet aliis vinis atque adeo nostrate avidissime se ingurgitent. Fructus est nonnihil crassus & subrubens: pulpa illius, licet silvestris, tamen suavis est & grati saporis; unde mihi videtur si coleretur, longe suavior & blandior evaderet: cæterum hæ plantæ sunt similes nostris vitibus, quoad folia & pampinos: quidam vocant *Xocomecatli*, id est, funem
40 acidum tam ratione saporis, quam sarmentorum & capreolorum quibus arbores amplectuntur: In Florida tot tantæque occurrunt ut integras silvas occupent & vix ulla reperiat arbor, quam non scandant; Sæpe gustavi fructum, qui parum concedit uvis.

Arbores quæ resinas & liquores aromaticos fundunt hic plurimæ & præstantissimæ passim reperiuntur, quarum illæ quæ *Liquidambar* fundunt proceræ & vastæ, quæ *Tacamahacam* minores, nec unius generis, aliæ enim albam, aliæ subfuscam instar thuris, aliæ resinam quandam mollem instar ceræ, aliæ *Copal* edunt. Omnes
50 hæc arbores & illarum resinas atque liquores jam supra descripsimus. Præterea reperitur in hac provincia arbor proceræ & admodum ramosa quæ fructum fert instar piperis (sunt qui *Malaguetam* Africanorum suspicentur, sed plurimum falluntur) cujus & saporem refert, nisi quod nonnihil ad Cariophyllorum saporem accedat. Hanc arborem supra descripsimus quum de *Tabascensi* provincia ageremus, cui hæc arbor perfamiliaris. Arbores item quæ *Cacao* ferunt hic admodum frequentes, uti & quæ cassiam solutivam producant. *Guajaci* denique præstantissimi ingentes hic videntur luci.

In *Copanavaztla*, hujus provinciæ regione, arbuscula reperitur floribus rubris,

ejus folia siccatã & in pulverem trita, vulnera quamvis vetera & multum exulcerata sanant. Ibidem & Palmarum quædam species abunde crescit, quæ fructus fert orbiculares & ubi maturerint nigricantes, edules & palato non ingratos: Veræ autem palmæ ex Hispania huc traductæ, octennio postquam satæ fuerunt, optimos dactylos dedisse fuit observatum: Sunt & hic arbores quædam quæ resinam fundunt instar Styracis: sed colore multum elegantiore, & ferunt flores instar *Azabar* (ita vocant Hispani flores aurantiæ mali) optimi odoris, quos potui *Cacao* admiscere & ventriculo plurimum prodesse autumant. In *Chicomuzelo* autem altera hujus provinciæ regione etiam arbores inveniuntur quæ fundunt balsamum.

Omnia olera ex Hispania huc allata uberrimè proveniunt: fabæ semel satæ, multos hic annos durant, florentque pene omnibus mensibus: brassicæ silvestres, (quas Hispani vocant *Llantas*) ad eundem modum hic perennant, & adolefcunt ad modum fruticis, (ita ut aves in iis nidulentur,) quarum cymis incolæ vescuntur. Habent & herbas quasdam peculiare, quarum una fert flores candidos, radicem croceam & edulem; altera radicem habet candidam quæ leniter purgat; In *Quelenum* autem agris sponte provenit radix Mechoacan. Et floribus hic suus honos, præsertim Caryophylleis, qui toto anno florent; ut & aliis.

Aves rapaces hic variæ, atque inter eas quæ unum pedem anseri, alterum accipitri similem habent; obambulant juxta fluminum ripas, piscium capturæ, quibus victitant, intenti; de quibus audiendus *Fr. Ximenez*: Non possum (inquit) præterire monstruosam avem; mole grandioris gallinæ, & pene ejusdem formæ, plumis albis cum quibusdam notulis pardis; rostro Accipitris, sed acutiori: rapinas agit tam in mari quam terra; pedem sinistrum habet similem anseri, eoque natat in aquis; dextrum similem Falconi, quo rapta comprehendit, tam in fluctibus quam in aère; præterea Aquilæ aut nigræ aut subfuscæ, earumque maximæ etiam coronatæ: coturnices quoque, palumbesque Hispaniensibus paulo minores, turtures, anseres, anates, aliæque complures. In summa autem olim indigenis veneratione habita (ita ut illam occidere capitale esset) *Totoquestal* avis, palumbe paulo minor, plumis instar Heliotropii virentibus, cauda oblonga: hujus plumis in principalibus festis se ornabant: De Psittacis & Guacamais, quæ plumas habent eleganter rubentes atque cæruleas, quarum ingens hic ubique copia, nihil addam: de quadrupedibus pauca; & quidem primò de advenis: Taurorum, vaccarum, ovium, caprarum, suum ingens hic numerus; Equorum tamen generosorum propagine imprimis laudatur hæc provincia, quare ab urbe Mexicana, (licet pene ducentarum leucarum intervallo distet) hinc pullos solent petere. Sunt & hic tigres & leones, pardi; feles sylvestres mire variegati; canes feroces instar luporum; Vulpeculæ albo, nigro & cinereo colore eleganter distinctæ, sed gravissime olentes: de quibus ita scribit *Fr. Ximenez*; Animalculum *Xzquiepatli* simillimum est Vulpeculæ quoad astutiam; duos palinos longum, rictu angusto, exiguis auribus, pelle nigra & pilosa; cauda autem (quæ longa ipsi) pilo è nigro & candido mixto vestitur; curvis unguibus; vivit in cavernis inter petras; victitat scarabeis & vermibus; ubi autem datur, etiam gallinarum & aliarum avium, quas rapit, capitibus: urina illius & stercus foetet horrendum in modum, ut quæcunque contigerint penitus corrumpant; etiam flatus, quos fugiendo è ventre edunt, intolerabilem fetorem edunt, ita ut his potissimum armis se adversus venatores defendant. Præterea reperiuntur hic apri ejusdem generis cum cæteris Americanis; armadilli, sciuri, & *Tlaquatzin* de quibus supra diximus. Aliaque animalcula cuniculorum magnitudine, sed glirium forma, quæ catulos suos (quos tres quatuorve gignunt simul) dum minores sunt dorso gestant, quum cibum quærendi causa procurrunt.

Multos quoque angues, aliaque venenata animantia nutrit hæc provincia, quorum quædam virus tam violentum de se fundunt, ut vel bacillo contingentes vitæ discrimen adeant, nisi statim cæsorum sanguine illinantur; neque tamen licet præfens exitium evadant, minus diu languent. Quidam Angues in maximam molem excrescunt, nonnumquam viginti pedes longi visi: quidam exquisitè rubent, nigra fimbria & albis maculis interstincti; barbari vocant matres formicarum, & collo circumferunt sine noxa. Denique juxta Ecatepeque *Quelenum* pagum duo colliculi visuntur,

visuntur, omnimodo serpentum genere ita referti, ut indigenæ supra modum formident propius accedere.

C A P. V.

*Particularis Provinciæ Chiapæ descriptio; Vrbs Cuidad Real;
Indigenarum ingenia, mores, alia.*

10 **P**ROVINCIAM hanc à quatuor diversis nationibus sive populis inhabitatam jam olim fuisse supra diximus; Inter hos Chiapenses, non modo inter hos populos primi censentur, sed & reliquis Novæ Hispaniæ populis ingenio & moribus præstant: nam & generosos atque optimos equos alunt, domantque; in musica atque pictura cæterisque Mechanicis artibus excellunt: humanissimi sunt & urbanioribus moribus, proceresque singulari obsequio venerantur. E Nicaragua, ut ferunt, provincia oriundi, huc jam olim transmigrarunt, sedesque posuerunt juxta petrosam collem, haud longe ab eo loco quem hodieque tenent.

Hispani postquam harum regionum sunt potiti, hic per commodum locum sibi elegerunt, in convalle rotunda, undique montibus circumvallata, plana, & quatuor semitis opportune divisa; in cujus medio mons eminent, ad cujus radices, qua orientem spectat, urbem condiderunt, quam vocant *Cuidad Real*; septuaginta leucis ab oppido *S. Iacobi de Guatimala* versus Corum; & totidem pene ab urbe *Nuestra Señora de la Victoria* provinciæ Tabasco; à qua ad urbem Chiapensem iter est, primum adverso flumine *Gryalva* leuc. quadraginta; deinde per altissimos & asperos montes, & valles multis amnibus riguas, quæ utramque provinciæ dirimunt. Hæc urbs *Cuidad Real* singulari Regis Hispaniarum privilegio regitur à magistratibus urbanis, quos vocant *Alcaldes*. Ecclesiam habet Cathedralē, & monasterium; ambiunt illam multi Indorum pagi & imprimis *Chiapa* à qua non modo reliqua vallis; sed & provincia nomen sortitur. Vallis autem hæc inter utrumque mare pene media censetur, ab utroque circiter sexaginta leucas distans, octodecim gradibus & triginta scrupulis ab Æquatore versus Arctum secundum *Herreram*: (quem tamen hic falli manifestum est, nam situs loci & cæteræ circumstantiæ repugnant) frigida est & sicca, salubrique quidem aëre, sed subtiliori, ideoque neque limonum neque aurantium ferax; sed pomorum, pirorum, cotoneorum, persicorum, cæterorumque fructuum qui in frigidioribus regionibus nascuntur, Tritici denique & Mayzii longe feracissima, ob sumentorum ad agros stercorendos copiam.

Secundi populi sunt *Zoques* sive *Zoaques*, horum provincia viginti quinque pagis five municipiis hodie habitatur, quorum præcipuum *Tecpatlan*, ubi Dominicani monasterium collocarunt: hæc provincia calida est atque humida ob imbrium frequentiam, & amnium atque torrentium multitudinem pene in via, pisciumque propterea optimorum copia dives.

40 Tertii *Zeltales* tredecim pagos incolunt, popularis regiminis in modum; solum hic uberrimum est & Mayzii feracissimum, unde multi hic porcorum greges aluntur: abundant melle atque gallinis; Coccinilla quoque qua ædes suas pingunt & gossypium suum inficiunt, nullo præterea emolumento; denique *Cacao*. Multi hic quoque amnes labuntur, sed modici: montes autem sunt altissimi, qui ipsos à *Lecandonibus*, *Zoquibus* & *Yucatanæ* provincia separant. *Lecandones* isti nudi agunt, juxta paludes, inter prærupta & confragosa montium juga ad limites *Yucatanæ*, asperi moribus & indomiti, Hispanisque (ut *Chiltonus* Anglus testatur qui hac iter egit) supra modum infesti.

50 Quarti *Quelenes* viginti & quinque pagos incolunt, quorum principalis *Copana-vaztla* ubi Dominicani cænobium habent; aër hic temperie est calida atque sicca, solum tritici & aliarum frugum Europæarum ferax: armenta hic multa, quare & optimos caseos premunt: Ad hanc denique provinciæ pertinet *Quebrada Rica*, sic dicta ab Hispanis, quod olim magnam vim auri hic eruerint: ab una parte *Soconusco*, ab altera solitudini *Lecandonum* contermina est hæc *Quelenum* provincia.

Princi-

Principalis Chiapæ fluvius descendit versus Arctum, & *Quelenum* provinciâ fecans juxta *Copanavaztlan*, multis subinde amnibus acceptis, exonerat se in mare per Tabascum: Quidam illum juxta pagum *Oxtutan* terra absorberi volunt. Hic fluvius animalia quædam nutrit, quæ nusquam præterea reperiuntur, similia fimiis, cauda oblonga & pelle maculosa instar tigrum; latent ut plurimum sub undis, raroque emergunt, barbaros dum flumen tranant, cauda cruribus circumdata, submergere sueta: neque equis abstinent; enectos tamen devorare nondum à quoquam observatum: Indigenæ hujus periculi gnari securiculas secum portant ut caudis amputatis se expediant.

Alter hujus provinciæ amnis, quem *Rio blanco* vocant Hispani, injecta ligria lapidea crusta sensim obducit, cæterum limpidus & potari innoxius.

Fontes
mirabi-
les.

Inter Chiapensis provinciæ decora, maxime illustra sunt diversorum fontium miracula; In pago *Cazacualpa* sesqui leucâ ab urbe primaria, fons visitur limpidus, qui eodem quo Oceanus modo singulis sex horis crescit & decrescit, quod illi à mari, à quo longissime abest, accidere minus verisimile est. In *Tafixa* agro fons triennio integro, licet parce admodum pluat, abunde scaturit, proximo verò triennio, licet vel maxime pluat, arefcit. Quinque autem ab urbe leucis fons visitur qui æstivis mensibus exundat, hibernis plane deficit. Haud longe à pago *Cinacatan* fons est exilis, cujus aquæ affectibus qui caustica remedia flagitant, medetur; potæ vero aves, aliaque animantia enecant.

Juxta pagum *S. Bartholomæi* in provincia *Quelenum*, terra hiatus quendam instar putci aperit, in quem si lapidem vel minutum dejicias, ingens tumultus cietur, statimque licet sereno & tranquillo die tanta & tonitruum similis procella emicat, ut procul audiatur & vix ferri possit. Quod & despecu in Dalmatia prodidit Plinius.

l. 2. c. 24.

Denique ut alia omittam in *Chicomuzelo* pago caverna jacet, aditu angusto, intus vero amplissima, planicie peramcena & lacu ad unum latus ita limpido ut intuentium oculos fallat, immobili præterea & juxta ripam duas orgyas alto.

Sacatlan.

Porro provincia hæc Chiapensis olim valde floruit, ob auri quod eruebatur copiam: neque hodie desunt auri venæ, sed mancipia desiderantur quæ effodiant. quamplurima quoque occultat argenti, stanni, plumbi, hydrargyri, ærisque metalla, hæctenus neglecta. *Chiltonus* Anglus, cujus paulo ante memini, prodit in suis commentariis, principalem hujus provinciæ urbem appellari gentili nomine *Sacatlan*, ibique Episcopum & circiter centum Hispanos habitare; magnum hic esse gossypii proventum, è quo indigenæ pannos texant, quos ipsi pro tributo Hispanis pendunt, Hispanique divite commercio ad Novam Hispaniam traducunt. Quatuordecim ab hac leucis alterum jacere oppidum *Chiapæ* nomine, generosorum equorum propagatione & educatione celebre.

Ab hoc ad Novam Hispaniam tendentibus, iter est per editissima montium juga, usque ad extremos hujus provinciæ terminos, ubi *Ecatepec* (quod nomen barbarorum lingua sonat Venti montem) in tam vastam altitudinem se attollit, ut utrumque Oceanum è summo vertice conspici posse affirmant: hunc pene novem miliarium itinere ascendi, idque potissimum noctu, quia sole Oriente tam validæ procellæ ut plurimum incumbunt, ut in jugis illius consistere aut iter agere impossibile videatur; à radicibus deniq; illius ad *Tecoantepec* primum Novæ Hispaniæ oppidulum leucas numerantur quindecim. Atque hæc de provincia Chiapæ dicta sunt.

SOCONUSCO & SUCHITEPEC.

C A P. VI.

Provinciarum Soconusco & Suchitepec descriptio, cæli solique qualitates, oppidum, reliqua.

CHIAPÆ provinciæ proxima est versus Eurum & Austrum provincia illa quæ barbaris dicitur *Soconusco*, secundum Oceani Meridionalis oras, circiter quinque & triginta leucas in longitudinem porrecta, & haud multò pauciores

ciores in latitudine patens. Limites habet ad ortum quidem Guatimalam proprie dictam, ad Septentriones Veram pacem, ad occasum Tecoantepec ultimum Novæ Hispaniæ terminum.

Solum omne feracissimum est earum arborum quæ ferunt *Cacao*, atque hæ præcipuæ illius provinciæ divitiæ, quas ob maris vicinitatem facili admodum commercio, cum opulentioribus Novæ Hispaniæ provinciis permutant: nec eorum quæ feruntur impatiens est regio, præterquam tritici.

Unicum oppidū ab Hispanis habitatur, quod gentili nomine à barbaris juxta atq; Hispanis appellatur *Guevetlan*, olim à *Petro de Alvarado*, dum harum provinciarum præfecturam obtineret, conditum. Cæterum ipsa provincia quemadmodum à *Chiltono* accepimus qui illam anno 1510 LXX peragravit, habitatoribus valde est infrequens, paucissimi enim Hispani hic habitant nec plures viginti; Indigenæ autem opum suarum fiducia, quas ex *Cacao* commerciis hauriunt, supra modum sunt arrogantes & feroces. Regi tamen Hispaniarum tributum pendunt, videlicet *Cacao* in singulos annos ad minimum quadringentas cargas (unaquæque autem carga capit quatuor & viginti millia *Cacao* amygdalarum, & in civitate Mexicana ut plurimum æstimatur triginta regalibus argenteis.)

A mense autem Aprili ad Septembrem assiduis procellis atque imbribus obnoxia est regio, tantaque torrentium & rivulorum vis de montium jugis in convalles & planiciem devolvitur, ut itinera omnia inundentur, & aqua restagnante invia fiant. Unde illi qui è Nicaragua aliisque orientalioribus provinciis versus Novam Hispaniam iter agunt, hisce mensibus aliò deflectere coguntur, quum reliquis mensibus per hanc provinciam longe expeditius & compendiosius iter habeant.

Soconusco ad Orientem proximæ jacent *Suchitepec* & *Guafacapan*, duæ modicæ provinciæ & incolis admodum infrequentes; maximus quippe illarum pagus, haud supra ducentos indigenas numerat; præcipue illorum divitiæ & merces sunt *Cacao* fructus, quorum tellus feracissima censetur.

Ora maritima harum provinciarum *Soconusco*, *Suchitepec* & *Guafacapan* secundum Oceanum Meridionalem sive Pacificum, initium sumit, septem leucas ab *Amitla* flumine versus occidentem, atque ad *Tecoantepec* & Novæ Hispaniæ fines produciuntur; quo intervallo varios habet amnes, qui in hunc Oceanum descendunt: qui quidem hoc ordine jacent, primo *Coatlan*, deinde *Capanarcalte*, mox *Colatl*, *Haxatlan*, atque *Amatituc*, solis tantum nominibus noti, cætera hujus oræ nobis incomperta.

V E R A P A Z.

C A P. VII.

40 *Provinciæ Verapaz descriptio & locorum quæ hodie ab Hispanis in illa habitantur.*

PROVINCIA cui *Verapaz*, id est, veræ Pacis nomen hæsit, quia non armis ut fere cæteræ hujus regionis provinciæ, sed Evangelii prædicatione à Monachis ordinis Dominicani, in Regis Hispaniarum potestatem pervenit, tota est mediterranea; ad occasum *Chiapa* provincia, ad austrum *Soconusco*, ad septentriones *Yucatana*, ad ortum *Hondura* & *Guatimala* proprie dicta, clausa; & triginta aut circiter leucas in longitudinem & totidem ferme in latitudinem patens. Separatur à *Guatimala* flumine *Xicalapa*; ab *Hondura* amnibus, paludibus & freto, quod vulgo *Golfo Dolce* appellant, & hujus provinciæ portus censetur.

50 Indigenæ, qui jam plerique Christianam religionem amplexi dicuntur, & in paucos pagos ut commodius à religiosis institui possent sunt congregati, non ultra viginti sex leucas occupant in latitudinem; cætera adhuc inculta, ab infidelibus & necdum cicuratis barbaris possidentur, *Lecandonibus* nimirum; de quibus etiam antè diximus & *Pochutecis*, & qui *Acalam* provinciam incolunt, similibusque ferocibus & indomitis populis, Regio montensis est, altis jugis & profundis vallibus, rara planicie,

planicie, opacis lucis & densis nemoribus maxima sui parte horrens: media sui parte satis commoda cœli temperie gaudet, extremis valde fervet atque æstuat: Mosquitis (ita culicum speciem hisce regionibus valde familiarem vocant) supra modum obnoxia, familiari regionum humidarum & calidarum peste. alioquin optimis fructibus, piscibus, cæterisque ad victum necessariis egregie abundans. Cœlum autem hic valde pluvium, ita ut fere novem mensibus continuis hic pluatur, reliquis quoque tribus anni mensibus haud raro imbres decidunt; denique ita nubilis perpetuo obfcuratur, ut Sol perraro hic erumpat. Verum lucis aliquot cæsis, quum solum jam indies magis magisque pateat, rariores ascendunt vapores, faciliusque discutuntur, unde & temperies aëris multum quotidie immutari dicitur. Altissima hic in-
super sunt montium juga & profundæ valles & voragines multæ, regionesque crebris
amnis impeditæ. Innumeri fontes & salubrium aquarum scaturigines, licet nonnullæ acidiores aquas, quædam & ingrati saporis eructent, ob metallorum venas, per quas enituntur.

Haud longe à *S. Augustini* municipio inter duos montes spelunca visitur faxea, multorum hominum capax, ore patulo, intus obscura & plana, cum variis cavernis, quæ continuo liquorem quendam destillant, qui in saxum convertitur, candidum instar Alabastri, variasque molitur columnas & statuas, raro naturæ artificio: interiora tam acri & subtili frigore rigent ut ipsa ossa penetrare dicatur; ibidem & confusum aquarum defluentium murmur exauditur, quæ diversis torrentibus erumpentes, primum in profundam abyssum instar lacus se præcipitant, & conjuncto deinceps alveo amnem emittunt, statim ab ipso egressu cymbarum patientem.

Solum hujus provinciæ ob nimiam illam humiditatem maligne patitur triticum Europæum, Mayzium tamen fert bis quotannis, licet & ipsum non raro nimio humore corrumpatur & putrescat: gravibus ventorum tempestatibus, terræ motibus, tonitribus denique & fulminibus hic vexantur. Sylvæ ingentes cedros albas rubrasque alunt, ut & multas aromatiferas arbores, quæ suavam odorem de se fundunt, multas quæ Liquidambar, quæ Animen, quæ Xuchicopal, mastichen & sanguinem draconis, ut vocant officinæ, fundunt. Cannas præterea ingentes producit terra, & nonnumquam centum palmos altas & ita crassas ut singula internodia arobam aquæ
(mensuram Hispanis notam) capiant: quibus indigenæ in ædificiis interdum pro trabibus utuntur. Arbores quoque quibus durissima est materies instar ferri, & putredini vel minimum obnoxia; & quibus versicolor est materies, quæ secta ad varios usus adhibetur. Florum odoratorum mira hic varietas, quibus apes pascuntur, quæ hic plurimæ & non unius generis: unæ quæ aculeis carent & limpidissima mella; aliæ aculeatæ instar Europæarum, quædam & muscis non dissimiles, quæ non mala, aliæ denique quæ agrestia & cerebrum hominibus perturbantia mella conficiunt: nullæ tamen harum favos operantur, sed mel suum sub arborum corticibus & ad earum radices in subterraneis cavernulis deponunt: unde liquidius quidem est mel sed acidiusculum: Hispani illud solent coquere, ita enim & salubrius fit & palato
gratius, ad syrupum ex aurantiis aut cytriis compositum quam proxime accedens.

Beori
animal.

Inter quadrupedes animantes, quæ hic reperiuntur, maxima est, quam barbari *Beori*, Hispani Dantam appellant; animal vitulo non absimile, sed cruribus brevioribus & Elephanti in modum articulatis; anteriores pedes quinque digitos sive ungulas habent, posteriores tantum quatuor; capite est oblongo, fronte angustiori, oculis pro mole exiguis, proboscide palmi longitudine supra os pendula; quum irascitur, erigit se & diducto rictu dentes suos ostentat, quos habet instar porcorum; aures illi acutæ, cervix contracta, cauda brevis & raris pilis obsita, pellis crassissima ita ut difficulter manu possit comprehendi aut ferro pertundi; victitat gramine & silvestribus herbis; barbari Indigenæ vescuntur illius carnibus; & venæ sectionem
se ab hoc animali edoctos memorant, nam ubi sanguinis nimia copia se gravari sentit, illico petrarum attritu, venas crurum sibi aperit & sanguinem derivat.

Nutrit & hæc provincia Leones, sed imbelles, stertunt totos dies in cavernis aut arborum fastigiis, è quibus noctu demum descendunt ad rapinam; celeres quidem sunt, sed timidi, & à barbaris crebro necantur, carne sunt candida nec insuavi, si barbaris credimus, qui illam in deliciis habent; arvinam autem in medicina adhibent,

bent, offibus in festivitibus pro tibiis utuntur. Tigres hic longe majores & perniciosiores; olim miseros barbaros è tuguriis suis abreptos dilaniabant, quare tantopere illos metuebant, ut se coram illis posternerent & numinis loco venerarentur: nam & hic, perque totam Novam Hispaniam constans fama est, diabolum superioribus seculis forma hujus animalis se barbaris ostentare consuevisse, unde veneratio orta: Verum postquam Hispani hic sedes fixerunt, & barbaris Evangelii lucem ostenderunt, misso timore, Indi quidem sagittis, Hispani autem potissimum suis bombardis tantam stragem ediderunt, ut jam pauciores compareant, minusque metuantur.

10 Reperitur hic & aliud animal, urso corporis mole haud multum concedens, ceterum nigris villis, cauda lata, manibus pedibusque ad humanum pene modum, facie panda, glabra & rugosa & simis naribus instar Æthiopum. Simile animal in Brasilia reperiri prodidit Thevetus, manus autem & pedes humanis similes illi non tribuit, sed de hoc alibi. Denique ingens hic simiorum & Cercopythecorum multitudo, sicuti & caprarum sylvestrium, porcorum, erynaceorum, armadillorum & similium ferarum. De avibus dicere nihil opus est, quas neque pauciores neque minus elegantes, quam Chiapæ provincia nutrit.

Nulla in hunc diem, quod quidem memoriæ proditum viderim, auri argentine metalla hic ab Hispanis inventa, licet sæpius, levibus quibusdam indiciis ab Indigenis decepti, frustra in quærendo operam insumserint, præterquam haud longe à Fretò
20 Dulci, ut statim dicemus.

C A P. VIII.

Reliqua hujus Provinciae & Freti quod vocant Golfo Dolce descriptio.

HUjus provinciæ latus quod orientem solem adspicit, infiniti pene rivuli & torrentes, qui ex altis & nivosis montium jugis devolvuntur, intersecant, qui in alveos collecti amnes plures navigabiles efficiunt, leniterque & sine murmure per patentes & uberes campos labuntur, & à procerarum arborum ramis dextra levaque obumbrantur; sæcundissimi omnis generis piscium, & illarum avium quæ
30 piscibus victitant. Omnes hi fluvii exonerant se tandem in Fretum quoddam longum & latum, quod versus Arctum vel aquilonem desinit in mare sive sinum Hondurensis. Dulce autem appellatur hoc Fretum ab aquis suis dulcibus, licet turbidis & limosis; alit ingentes pisces & imprimis *Manatos* atque haud paucos *Crocodylos*. Juxta hoc fretum aurifodinam fuisse inventam, & sulphuris quoque venas deprehensas testatur *Antonius Herrera*.

Hispani nullum in hac provincia habent oppidum; quatuordecim tantum, aut ut aliis placet septendecim pagos; indigenæ & pauci Hispani ipsis permixti habitant, in quorum uno Dominicanum monasterium ædificarunt. Indigenæ olim non minus quam reliqui Americani idiomate plurimum inter se differebant, nunc à religiosis & con-
40 junctim habitare & uni tantum se assuescere didicerunt; & non parum in urbanitate morum, & Christiana religione dicuntur profecisse. Modicæ sunt staturæ, bene compositis membris, moribus blandis & non invenustis. Marium numerus longe superat, nam sæcundas hic minus vivaces esse, quam viros, observarunt Hispani, causa occulta est: nam & nullo pene labore liberos suos pariunt, & sæpe solæ & in triviis, statimque & se & infantem suum flumine abluunt; sunt fere inopes ob gossypii paucitatem, (quod & multoties ab humidioris tempestate ipsis corrumpitur) & multarum aliarum rerum defectum. Præcipuæ illorum divitiæ sunt variarum avium elegantissimæ plumæ, è quibus varia ornamenta componunt; jam & alias artes mechanicas feliciter didicerunt. De antiquis illorum moribus, & institutis nihil attinet dicere, quum jam omnes
50 abdicaverint, præter solemnes choreas. Reguntur à Prætore urbano, qui mittitur ad hanc provinciam à Conventu Juridico Guatimalensi. Rarissime adeuntur cõmerciorum gratia, licet montanæ Zarçaparilla, Chinæ radicibus, & Mechoacan passim sca-teant, multiq; cortices, gummi, resinæ, aliaque simplicia ad medicinam & alios usus idonea hic reperiantur; unus enim tantum & satis difficilis navigiis ad illos aditus per Fretum Dulce, & quod rei caput, nulla satis ampla utilitatis aut lucris spes affulget.

Quidam olim per hoc fretum in mare pacificum penetrari posse sunt opinati;

alii per idem in *Guatimalam* & maritimas provincias pertendere sunt conati: & superioribus annis id tentarunt Angli ducibus *Antonio Sherleio* & *Wilhelmo Parkero*, sed frustra: nam quum onerariis suis in alto relictis, cum minoribus cymbis & scaphis hoc fretum essent ingressi, & circiter triginta milliaria cum maximo labore nec minori molestia, ob culicum infestas punctiones, confecerunt, per varios flexus atq; reflexus, tandem ad pagum quendam appulerunt, exiguo castello juxta posito munitum, cæterum tñ vacuum cultoribus, & è miseris barbaris qui in vicinia degebant, didicerunt, Mare Meridionale, secus quã sibi ipsis persuaserant, ab intimo hujus freti gremio, haud paucioribus quam xx leucis abesse; & iter ad provincias maritimas propter saltus & asperitatem montium qui interjacent impeditissimum esse; quare voti irriti & variis languoribus ob aëris insalubritatē supra modum afflictī, ægre ad naves suas redierunt.

G U A T I M A L A.

C A P. IX.

Descriptio provinciae quæ proprie Guatimala appellatur.

PROVINCIA quæ propriè *Guatimala* jam appellatur, aut Indorum idiomate *Quatnemallac* (quod nomen putrem arborem denotat) maritima est, patetq; secundum littus maris Meridionalis in longitudinē circiter leucas xvii; in latitudinē inter Austrum & Septentriones ut plurimum xxx. Solum hujus provinciae longe uberrimum est & Mayzii atq; Gossypii feracissimum: non minus & Tritici nostri, aliarumq; frugum; licet frumentum hic admodum difficulter in plures annos conservari scribant Raræ hic quidem pluvia, sed quum ingruunt valde vehementes, præsertim à Mense Aprili in Octobrem. Venti hic ut plurimū perflant aut ab Austro aut ab Aquilone: sed ab hoc rarius, neq; supra quindecim aut viginti diebus continuis, iique valde frigidi & impetuosī. Multis montibus aspera est regio, multis annibus impedita, unde & venationi & piscationi peropportuna: Fructuum optimorum tam eorum quos regiones illæ per se producant, quam illorum quos Hispani ex Europa intulerunt, egregiè fœcunda; *Cacao* vero proventu imprimis opulenta: Salis inopia hic laboratur, qui magno sumtu ex arenis quas unda marina lavit, in fornacibus magna flammarum vi excoquitur. Amnes præter omnis generis pisces, ingentes alunt *Crocodylos*. Pascuis hic imprimis abundatur, unde multa hic prædia rustica, & numerosi armentorū greges; sed valetudine incolentium infamis habetur provincia ob nimium æstum pariter atq; humiditatem: Culicum incredibilis multitudo, qui noctu atque interdium molestissimi sunt hominibus: muscæ quoque & vespæ infinitæ: frequentes scorpii, alique vermes crassi & hirsuti, qui solo contactu noxii & non raro lethales judicantur: & quos centum pedes vocant non minus formidabiles; (quãquam *Fr. Ximenez* qui hoscæ à Mexicanis *Coyayabual* appellari scribit, dicat hunc vermem siccum & aqua dilutum fractumque utiliter maxillis inungi ad dolores dentium mitigandos; esse autem vermem valde durum superiore parte fulvum, pedibus è candido purpurascens, quos habet quamplurimos, unde ad centum pedum species refertur.) Præterea serpentes, viperæ, aliaque reptilia venenata. Apes hic plurimæ quæ mel album & ceram conficiunt, nec tam acriter pungunt quam nostrates.

Fert hæc provincia Balsamum, aliumque liquorem aromaticum instar olei (quem Gomara tradit è monte profluere) & sulphur absolutissimum. Præstantissimum deniq; Anir sive glastum, quod hujus provinciae nomine celebratur: De quo nobis hic pauca dicenda, in quem finem & ramulum illius cum foliis ad vivū & ea mole qua erat expressum hic adjungimus. Plantam ita describit *Fr. Ximenez*: *Xihuiquilil pitzahuac*, id est, Annir foliis subtilibus, est frutex ex una radice plures producens truncos, sex palmos altos, & digitū minorem crassos, rotundos & læves, coloris cinericei; folia habens similia ciceri; flores exiguos è candido rossos, è quibus nascuntur siliquæ, coacervatim è caulibus pendulæ, quæ similes sunt vermiculis quos vocat ascorides, crassiusculæ & plenæ semine nigro: (addunt alii semen accedere ad semen fænugræci, utriusque compressum & veluti præcisum.) E foliis fit tinctura quam barbari vocant *Tlacchoyli-mihuitl*, qua capillos inficiunt colore nigro. Modus autem conficiendi colorem illum cæruleum,

cæruleum, quem Mexicani appellant *Mohuitli* & *Tle-*
cobuilli; & Castellani *Azul* (vulgo annil) ita se habet:
Indunt folia decerpta æneo vasi & affundunt aquam
calidam vel potius tepidam (licet quidam magis pro-
bent frigidam) & versant valide, donec aqua tingatur,
quam deinde sensim effundunt in aliud vas sive ollam,
cui foramen est in superiori parte, è quo effluit aqua
magis clara, turbida autem & quæ hausit substantiam
foliorum subsidet; ea porro colatur per saccum canna-
binum, & crassa substantia exponitur soli & formatur
in placentulas, quæ in patenis impositæ prunis indur-
antur & siccantur. Hæc ille.


Sed apud Indos veros qui in oriente inter Indum
& Gangem degunt, modus eliciendi hanc tincturam
longe operosior est, quem hic adicere necessarium
putavi. Plantam sectam conjiciunt in oblongam ci-
sternam ad id paratam, & multis saxis superinjectis de-
primunt, atque diluunt & operiunt pura limpha: ita
compressa & cooperta relinquitur ad aliquot dies, do-
nec aqua colorem & substantiam omnem herbæ ex-
traxerit & imbiberit: tunc aquam hanc in aliam cister-
nam rotundam, in cujus fundo alia minor itidem orbicularis structa est, emittunt;
agitantque bacillis valide, & despumant sensim liquidam; atque id tantisper, donec
aqua omnis despumetur, & feces atque crassior substantia in fundo subsident: hanc
exemtam super pannos extendunt & siccant ad solem; ubi autem jam paulum indurari
cœpit, in orbiculos, aut laminas aut pastillos cogunt; & rursus super arenam
porro indurandam projiciunt, nam omnis alia materies colorem ebiberet aut vitia-
ret. Maxima autem copia notissimæ hujus tincturæ ex Guatimala & vicinis provin-
ciis per portus Honduræ infertur Europæ opulentissimo commercio.

Porro provincia hæc dirimitur à *Suchitepec* & *Guasacapan*, *Michatoya* flumine,
quod è lacu *Amitatan*, quatuor ab urbe *S. Iacobi* leucis, se præcipitat ab altissimis ru-
pibus in profundam & concavam cavernam, in cujus superiore parte infiniti psittaci
nidulantur, grandesque & noxii vespertiliones, qui & vitulos enecant exsugendo
illorum sanguinem, neque hominibus si dormientes offenderint, parcunt: atque ho-
rum tantus est numerus, ut ob damna quæ quotidie pecori inferunt, indigenæ vicina
prædia deserere fuerint coacti.

Indigenæ hujus provinciæ valde sunt pusillamines & abjecti; lingua Mexicana
omnibus communis, licet propriam habeant. Plus quidem quam reliqui barbari in
religione Christiana & civili conversatione profecerunt, verum si metus absit, rursus
facile ad gentiles suos ritus & barbaras consuetudines relabuntur. Mares rudiores
sunt, sed optimi sagittarii; fœminæ paulo urbaniores & nendi peritissimæ.

In regione hujus provinciæ quæ *Nestiepac* dicitur, lacus quidam sunt, quos è sul-
phureis venis scaturire, aquarum gravis odor manifestat; & sulphuris fragmenta juxta
ripas coagulata; pasqua autem quæ hos lacus ambiunt & rivulos ex iis accipiunt,
egregie nutriunt equos, & ex gracilibus & invalidis reddunt robustos & pingues.

Anno primum c1510 xxiv hæc regio à *Petro de Alvarado* domita & in provin-
ciam fuit redacta, ipsoque superstite multum floruit; verum ipso extincto multum
remisit de pristino splendore, quem tamen postea commerciorum opulentia recu-
peravit, ut hodie felicioribus provinciis annumeretur: Unicum tantum portum
eumque non satis tutum huic provinciæ tribuit *Herrera*, quam vocat *Yztapam*; in
quo ipsum falli manifestum est, nisi intelligat de portu aliquo ad mare Septentrio-
nale; ad quod tamen hæc provincia non pertingit; alibi autem *Yztapa* fluvii & por-
tus meminit, haud longe à fluvio *Gryalvæ*, per quem olim merces Europæ ad hanc
provinciam subvectas fuisse verisimile est, priusquam Fretum dulce alii que aditus
Hispanis innotuissent: de portibus ad mare Meridionale mox dicturi sumus.



Provincia Yzalcos uti hodie ab Hispanis appellatur, particularis descriptio.

PROVINCIA *Yzalcos* capit initium à flumine *Guacapa* & terminatur ad *Guey-*
 Tonalá: *macum* & oram maritimam quæ vulgo *Tonalá* dicitur. Pater in longitudinem
 secundum oræ maritimæ ductum leucas octodecim: Solo atque cælo provin-
 ciæ *Guafacapan* plane similis, earundemque rerum abundantia & præsertim *cacao* 10
 fructibus nobilis. duas præterea fructiferarum arborum species nutrit, quas *Zicaras*
 & *Capotes* appellat *Herrera*; quæ fructus ferunt instar pinearum nucum, quibus vi-
 Zapotea: ginti quinque & interdum triginta amygdala continentur. *Fr. Ximenez*, quem li-
 benter sequor, describit arborem, *Cochiz Tlapotl*, quam dicit esse arborem gran-
 dem, deformem; foliis aurantiæ mali, raris & ternis per intervalla; trunco varie-
 gato notis quibusdam albis; floribus flavis & exiguis; fructumque ferre forma mali
 cotonei & interdum eadem mole, (qui Hispanis dicitur Zapote blanco,) edulem &
 grati saporis, verum non admodum salubrem; officulum autem illius esse lethale vene-
 num. Hanc suspicor eandem esse quam *Herrera* vocat *Capoten*, licet hic nihil de amyg-
 dalis, quas ad alteram referendas puto; quanquam quæ altera illa sit quam *Zicaram* vo- 20
 cat nondum invenerim; nisi forte sit illa quam *Fr. Ximenez* Mexicanis scribit vocari
Tzopilotl & *Tzopilot Zontecomatl*, quæ est arbor grandis, foliis longis & angustis; fructu
 longo & grandiusculo, qui continet officula quædam amara, pectori salubria, sa-
 pore amygdalarum amararum, muscum redolentia, licet tandem saporem putridum
 post se relinquunt; è quibus trahitur liquor quidam oleosus & emolliens, quique fa-
 cultates dictarum amygdalarum videtur obtinere. *Cacao* quidem in hisce regionibus
 tantus est proventus, uti fructus qui quotannis in Novam Hispaniam vehuntur;
 quique in usus domesticos adhibentur, in quatuor hujus provinciæ municipiis, ad
 summam quingentarum cargarum, uti vocant, ascendunt; horti autem in quibus
 hæ arbores coluntur, nonnulli duo milliaria occupant. Atque hos quidem fructus per 30
Contlas, *Xequipiles* & *Cargas* numerant, quarum *Contle* quadringentis amygdalis,
Xequipil ducentis contis aut octo millibus amygdalarum, *Carga* denique tribus *Xe-*
quipilibus definitur: atque ad eundem modum etiam cæteras res numerant.

Habet hæc provincia Vulcanum sive flammivomum montem, cui hisce quin-
 quaginta proximis annis (quum scriberet *Herrera*) supra viginti stadia de fastigio de-
 creverunt: nonnullis annis tantam cinerum copiam evomit, ut vicinas valles longe
 lateque cineribus contegat, & *Cacao* hortis & viridariis grave inferat damnum,
 præsertim versus Austrum, ubi solum magis declive est: plurimi torrentes ab hoc
 monte descendunt, quorum quidam potabiles, alii noxii & grave olentes: qui-
 dam etiam quævis injecta lapidea crusta inducit, juxta pagum hujus provinciæ, quem 40
 vocant *Tupam*.

Ab *Yzalcos* trium leucarum itinere ascenditur ad locum quendam *Apaneca* dictum
 frigidiusculum quidem, optimorum tamen granatorum aliorumque fructuum Hi-
 spaniensium, & præsertim tritici feracissimum: juxta hunc *Ataco* incolitur, ejusdem
 pœne cœli & soli, venationeque ferarum celebris: in montanis reperiuntur ea
 animalia in quorum visceribus Bezoar gigni dicitur: & urforum parvulorum quæ-
 dam species, qui rictus loco in extrema proboscide foramen habent parvum & ro-
 tundum, è quo linguulam, teretem, oblongam atque intus concavam exferunt, qua
 mel assorbet, aut melle deficiente, eandem juxta formicarum antra arundinis in
 modum exporrigunt, & incautas formicas miro astu attrahunt atque deglutiunt: 50
 damæ præterea versicolores, aliaque animalia, & feræ quoque hominibus infestæ.

Multæ hic herbæ nascuntur salubres & ad usum medicinæ comparatæ, arbo-
 resque quæ *Mastychen*, sanguinem Draconis & Animen fundunt.

Ataco proxima est *Guacapa*, regio non minus fertilis, ubi fœminæ barbaræ, opti-
 ma vasa argillacea, nulla licet instrumentorum ope adjunctæ, efformant; eaque limo
 quodam rubicundo instar *Coccinillæ*, qui in rivulis ibidem reperitur, elegantissimo
 colore

colore inficiunt: sunt qui limum hunc bolo Armeniæ comparent, & eundem suspicentur: nam & potus dysenterix medetur, & adversus pestilentes morbos insigne censetur antidotum: alii rivuli similem limum sed nigrum devehunt, quo vasa sua ad eundem modum pingunt. Quodam etiam loco, quem Indigenæ Infernum vocant, aqua ebullit fervidissima, miro murmure & vario colore; nam hinc turbida, alibi limpida, istic rubicunda, & aliis locis flava aut varie colorata erumpit, prout à venis metallicis, quæ in visceribus terræ latent, tingitur: vapor autem qui exhalat, in bitumen quoddam concrevit: barbari autem ollas suas scaturiginibus admovent ut ebulliant. Ex omnibus hisce scaturiginibus gignitur amniculus, quem à re ipsa calidum vocant, nam illius aquæ pene integrum milliare ab origine ita calorem suum servant, ut equorum & aliorum animalium crura adurant: ad montium radices adhuc plures ejuscemodi fontes visuntur; inter alios lapis quinque ulnas Hispanicus longus, tres latus, & per medium fissus; è cujus fissura fumus evaporat, & si propius accedas inconditum murmur auditur, tempestate autem ingruente etiam horrendus fragor. Montes ferunt procerissimas quercus, quarum glandes tam patentes calices habent, ut atramentariorum vicem suppleant.

Scorpiones hic inveniri tradunt cuniculorum magnitudine: bufones autem ranis paulo minores, qui arborum ramis instar avicularum insultant, & pluvix tempore ingentem strepitum excitant. Denique formicæ hic visuntur grandissimæ, quas Indigenæ vulgo comedunt; & in foris venales habent.

SAN SALVADOR. SAN MIGUEL. CHULUTECA.

C A P. XI.

Specialis descriptio harum provinciarum, & eorum quæ habent peculiaria.

PROVINCIA quæ hodie *S. Salvadoris* nomine gaudet, initium suum sumit à pago *Atiquizaya*, soli fertilitate præcedentibus neutiquam inferior. Indigenæ hinc è certis graveolentibus & virulentis vermibus efformant certos pastillos, quos ad varios medicinæ usus usurpant; uti adversus tumores è causa frigida, aliosque ejusdem generis affectus.

Guacapa amnis oritur in hac provincia, & circiter septem leucas à fonte suo progressus, fit grandis & navigabilis, atque post tredecim leucarum lapsum miscetur Oceano Meridionali: ita ut nullum aliud Americæ flumen tam exiguo intervallo tantas aquas colligat aut emittat.

In agris municipii *S. Anne*, duo lignorum genera cæduntur, quorum uno tingitur color quem vulgo vocant *Leonado*, altero elegantissime cæruleus. Ad radices autem Vulcani cujus supra meminimus, haud procul à *Coatan*, lacus se colligit admodum altus, immanibus crocodylis scatens: in cujus medio jacet exigua insula; barbari *Pipeles* dicti, in vicinia degentes, credebant nulli mortalium fas esse illam adire, sine manifesto præsentis mortis periculo, donec Hispani ipsis hanc credulitatem ademerunt, aliquot Nigritas ad insulam mittentes, qui ratibus compactis lacum trajecerunt, ibidemque reppererunt idolum quoddam saxeum, foeminae formâ; arasque ad immolandum comparatas; quo factum ut barbari omnem metum, locique venerationem abjicerent.

In finibus *Guaymoco* pagi, plurimæ nascuntur arbores, quæ balsamum edunt; universaque ora, quam *Tonalam* vocant, nutrit arbores admodum firma atque ponderosa materie, è qua in quodam templo reperiuntur columnæ quinquaginta pedes altæ. Indigenæ liquorem Balsami colligunt æstate cortice trunci leviter adusto; Hispani autem per se emanare sinunt: fert arbor illa fructus amygdalis similes, quibus inest succus aurei coloris.

Angusta ab hoc loco semita pertinet ad oppidum *Sancti Salvadoris*, & amnis quidam plus quam sexagies transvadandus est, ad radices usque ingentis Vulcani, qui deficiente, ut verisimile fit, materie, nullis amplius flammis emicat, immani cæterum cratere & dimidiam leucam ambitu complexo, vastaque altitudine: in cujus descensu duo veluti furna conspiciuntur, quorum extrimum etiamnum densissimum fumum emittit, tam gravis odoris, ut propius accedentes animo non raro delinquantur.

Mons hic ab imis radicibus ad fastigium usque obsidetur ingentibus cedris, pinisque; & passim videntur ambustæ materies veteris incendii indicia.

Nixapa.

Tres porro ab hoc Vulcano leucas abest *Nixapa* pagus, ubi ramentum cernitur aridi montis (Hispani vocant *el mal pays*) è saxis atque ambustis glebis accumulati, atque adeo materie, quam prædictus Vulcanus haud dubio quondam eructavit, quoniam alterius Vulcani vestigia nulla in vicinia comparent; quod tamen in tanto intervallo fere monstri simile possit videri, nisi ab alio in valle civitatis *Sancti Iacobi de Guatemala*, integros ignitorum saxorum montes longe rejectos recens admodum memoria esset; & in *Nicaragua* provincia, superiore seculo, flamma è novo Vulcano erumpens, integrum montem ingenti ruina super vicinam vallem ita effudisset, ut totam oppleret & incolas omnes subito vivos inhumaret.

Ab hoc autem Vulcano scatebræ emanant optimarum aquarum, quæ juxta *Nixapam* in unum se colligunt alveum: ab eodem & mirabilis torrens descendit, qui noctu fluens, interdiu prope montem *Sancti Ioannis* veluti absorbetur; aliusque non multum dissimilis visitur in provincia *Chuleteca*, ad meridiem usque scaturiens & post meridiem arefcens.

Cuzcatã.

Ad radices denique hujus flammivomi montis, hodieque visitur antrum rotundum, (craterem fuisse olim, diuque arsisse faciunt fidem adusti lapides & solum in ambitu aridum atque effæctum) è quo fons limpidissimus erumpit, ex quo *Cuzcatani* pagi incolæ, qui juxta jacet, suas aquas hauriunt; nec longe ab hoc abest ipsum opidum *S. Salvatoris*, de quo nobis sermo est.

Secundum oram maris Australis, ad fluvium *Lempan* usque (qui hanc provinciam à provincia *S. Michaëlis* disternat) regio omnis plana est & campestris, pecorique aptissima: Sub ipso autem Vulcano de quo modo, quatuor numerantur barbarorum pagi, qui uberrimo *Cacao* proventu certant cum provincia *Yzalcos*; ad Septentrionale vero ejusdem latus jacet vicus *Ystepeque*, scaturiginibus aliquot aquarum nobilis, quæ sulphur & alumen generant, itemque campis nobilis qui plurimas herbas medicinales producut.

Chontales.

Ab hoc loco incolunt *Chontales*, gens aspera & immanis moribus, cujus ingenia ab asperis montibus & solitudinibus adhuc magis asperantur. Nec procul hinc *Lempa* amnis è lacu quodam egressus, ad oceanum devolvitur navigabili alveo, per amœnum solum & venatione & piscatu dives; nisi quod cœlo utitur ferventiori ideoque insalubri. Juxta ripas hujus fluminis quædam crescunt arbuta, quæ & suavissimos flores ferunt & odoratissimum gummi, eo non inferius neque multum dissimile, quod *Beniuin* vocatur.

Lempa fl.

Mimilla.

Tribus autem à lacu leucis aditur pagus *Mimilla* quondam *Pipelium* atque aliarum gentium sacrarium; ubi duæ scaturigines exiguo intervallo discretæ, una pene ferventes, altera frigidæ aquas, effundunt; multa præterea hic nascuntur simplicia quæ aromatum vice in cibo atque potu ab indigenis usurpantur; effoditurque terra

Cecori.

quædam instar *Chalcanti*, è qua atramenta in hisce regionibus componuntur. Non longe denique à *Cecori*, qua regio hæc versus aquilonem divergit, vastus se supra vicinos mons attollit, cujus verticem occupat lacus profundissimus & magnus, è vicino fonte sese colligens.

Denique in hisce regionibus frequens est damarum quoddam genus, duplici ventriculo ab Authore naturæ donatum, quorum uno cibos digeri, altero putrida ligna recipere observatum fuit, quem in usum, incertum, licet natura nihil frustra facere credenda sit. Barbari indigenæ vescuntur horum animalium carnibus, licet viscosiores sint & haud dubio admodum insalubres.

C A P. XII.

Oppidum S. Jacobi de Guatemala harum provinciarum principale.

HACTENUS provincias aliquot conjunximus ob vicinitatem, nunc oppida quæ ab Hispanis habitantur prosequemur: Quorû facile princeps urbs *S. Iacobi de Guatemala*; utpote Metropolis hujus Præfecturæ & Conventus Juridici sedes. Abest autem ab Æquatore quatuordecim gradus & triginta scrupul. versus Arctum

ctum: à Meridiano Toletano versus Occidentem gradus tres supra nonaginta, ut *Herrera* annotavit; duodecim, vel ut alii volunt quatuordecim leuc. à Mari Meridionali. Sita est in medio convallis, quæ ab amne interfecatur; inter duos flammivomos montes; quorum unus urbi vicinus, alter abest duarum leucarum intervallo, in vertice præalti & rotundi montis: qui ut plurimum densissimum fumum exhalare, nonnumquam ignes cineresque evomere & adustos lapides ejaculare solet; ubi autem ignis emicare cæpit, terra in ambitu graviter & crebro movetur.

Frequentia hic sunt fulgura atque tonitrua; aër tamen haud minus hic salubris: Solum item perfoecundum, bonumque pecori & armentis, quorum maxima hic copia: Ager Mayzii ita ferax, ut in patentioribus & riguis arvis quingentos modios pro uno reddat, alibi pauciores, nusquam, ut ajunt, minus centum. Arborum fructiferarum ingens copia, ita ut merito hujus oppidi ager suburbanus inter amoenissimos numerari possit. Oppidani Hispanicæ gentis ab *Herrera* sexcenti numerantur, præter barbaros & mancipia. *Chiltonus* Anglus qui anno 1510 LXX hac iter habuit, numerum prodit longe minorem, nec supra sexaginta Hispanos tum oppidum dicit incoluisse. Ministri regii hic ut plurimum agunt; itemque Episcopus, qui suffraganeus est Archiepiscopi Mexicani: hic & monasterium Dominicanorum visitur, itemque alterum fratrum quos vocant *de la Mercede*; & Hospitale: denique hic metalla omnia liquantur, fundunturque. Agrum autem Diocesenum viginti
20 quinque millia barbarorum dicuntur incolere.

Distat hoc oppidum à Metropoli Mexicana leucas ducentas & septuaginta, permolesto itinere, quod per duas solitudines agitur, quarum una à *Guaxaca* ad *Tecoantepequen* quadraginta quinque; altera vero à *Tecoantepeque* ad *Soconuscum* sexaginta patet in longitudinem leucas. A medio autem May ad medium Novembris iter hoc fere invium est ob assiduas pluvias, uligines, atque stagna. A *Guazacoalco* verò, qui locus jacet ad mare Septentrionale, abest leucas ducentas, itinere item impedito & tortuoso; olim tamen ab hoc portu merces petebant Europæas, magno sumtu & longe majore molestiâ; nunc longe compendiosiore via per vallem *Naco*, (quæ tantum leucas quinquaginta distat ab hoc oppido *S. Iacobi*) easdem subvehunt à sinu
30 *Hondurensi* petitas.

Hoc oppidum anno 1541 horribili tempestate pene totum concidit, quæ ex Vulcano (quem oppido imminere supra diximus) intempesta nocte ex improvise eruperat: magnam quippe aquarum diluviem, ingentia saxa atque integras arbores radicitus evulsas secum dovulvens, tanto impetu oppidum irrupit, ut ædificia prosterneret, multosque mortales obrueret & misere suffocaret; atque inter alios Præfecti & primi harum provinciarum Domitoris Viduam; (de cujus miserabili exitio varia à variis auctoribus produntur, nec inter se consentientia;) Verùm oppidum postea restauratum, novisque colonis auctum, ob commercia cum Veraguanis, aliisque gentibus, auro aliisque divitiis
40 hodie pollere dicitur.

C A P. XIII.

*Oppidum S. Salvador, municipiaque la Trinidad, S. Miguël
& Xeres de la Frontera.*

OPPIDUM quod hodie ab Hispanis *S. Salvador* appellatur, ab indigenis olim *Cuzcatlan* sive *Cuzcatan* dicebatur: distat ab Æquatore versus Septentriones tredecim gradibus & paucis scrupulis; ab oppido *S. Iacobi de Guatemala* quadraginta leucis versus Eorum; ab Australi denique Oceano & portu qui vulgo *Aca-*
50 *xutla* nominatur septem. Ad hunc portum naves omnes à Nova Hispania solent appellere, merces suas exponere, & *Cacao* aliosque hujus provinciæ fructus rursus accipere. Ager suburbanus frugum fertilis est, cælumque temperatum & per salubre. *Chiltonus* scribit hanc primariam hujus provinciæ urbem esse, quæ barbaro & antiquo nomine hodieque *Sonfonate* appellatur; & quum illac transfret à sexaginta Hispanis fuisse habitatam. Dominicani hic monasterium habent. Haud procul ab oppido lacus visitur, quatuor quinqueve leucas ambitu suo occupans, piscium haud-
quaquam

quaquam fecundus; Indigenæ provectoris ætatis narrant hunc lacum incredibilis magnitudinis angues olim aluisse, qui tamen hodie minime comparent.

Municipium Hispanis *la Trinidad*, barbarorum lingua communiter *Sonsonate* dicitur & idem nomen vulgo toti provinciæ impartitur; abest ab oppido *S. Iacobi de Guatimala* leucas sex & viginti; quatuor autem à portu *Acaxutla*, versus Africum. Solum est in agro uberrimo & *cacao* imprimis fecundo: Emporium est hujus provinciæ singulare, ad quod è Peruvia & Nova Hispania merces subvehuntur; Dominicani monachi hic cœnobium habent; sed barbari qui in agris degunt ad Diœcesim Guatimalensem referuntur.

S. Michaëlis municipium sexaginta duas leucas abest ab oppido *S. Iacobi* & viginti duas ab oppido *S. Salvatoris* versus Eorum: duas denique à littore Maris Australis & sinu *Fonseca*, qui municipio huic portum præbet; circiter octuaginta barbarorum indigenarum vici hujus municipii finibus dicuntur concludi.

Municipium *Xerez de la Frontera*, quod barbari vulgo provinciæ ipsius nomine vocant *Chulutecan*; situm est in extremis Præfecturæ Guatimalensis finibus, ad limitem præfecturæ *Nicaragua*, pene octuaginta leucas à Metropoli *S. Iacobi de Guatimala*, viginti aut saltem octodecim à municipio *S. Michaëlis* versus Euroaustum, in uberrimo agro & Gossypii atque Mayzii aliarumque frugum feracissimo.

C A P. XIV.

Portus & Stationes hujus Præfecturæ, totaque ora maritima ad mare Australe.

PORTUS Præfecturæ Guatemalensis, præter paucos jam ante commemoratos, sunt ad mare Australe; primum *Sinus Fonseca* haud longe à municipio *S. Michaëlis*, distans ab Æquatore duodecim gradus & dimidium versus Arctum; anno 1610 xxii primum aditus ab Ægidio Gonzales d'Avila & in honorem Joannis Roderici Fonseca Episcopi Burgenfis & Consilii Indici in Hispania tunc præsidis, ita nominatus; in gremio sinus jacet parva insula, quam idem Ægidius appellavit *Petronillam*. Hispani olim quum commercia inter utrumque Oceanum, quam brevissimo & expeditissimo itinere satagerent aperire; anno 1635 xxxv deduxerant Coloniam in vallem *Naco* (de qua non dicemus) & ab omine appellaverant *Bonam Spem*; Regique Hispaniarum per litteras significaverant, municipium illud opportunissimo loco situm esse inter portum *de Cavallos* in Præfectura Hondurensi & sinum hunc *Fonseca*; quippe tantum quinquaginta leucas interesse, itinere maximam partem expeditissimo, paucis locis asperis exceptis, quæ facili negotio complanari possent, & viæ inter saltuosos montes aperiri; atque ita commercia inter utrumque mare, atque adeo compendiosius & utilius inter Hispaniam & Peruviam exerceri, quam per isthmum panamensem: quod facilior & tutior navigatio esset, tum ab hoc sinu ad Peruviam, quam à Panamæ portu, tum etiam à portu *de Cavallos* ad Hispaniam quam à *Nombre de Dios*; denique Sinum Fonseca longe meliorem & tutiorem esse portum, quam sit Panamensis; itaque rogabant Regem ut hac via commercia inter utraque maria geri præciperet; sed hætenus id nequaquam persuaserunt. Credo quod aliæ difficultates sese aperirent, quæ ab iis qui suo commodo aliquid Principibus suggerunt, fere præteriri solent. *Fullerus Candischi* naucleris observat, in Freto Fonseca (ita vocat hunc sinum) decem insulas sparsas esse, quarum quatuor à barbaris habitentur, & aqua, ligno atque sale abundant: ad occidentale autem hujus sinus latus Indorum pagum esse, *Mapal* dictum, qui armentis abundet.

Sinui Fonseca proximus jacet portus *Acaxutla* haud longè à Sonsonate sive municipio Trinitatis, duodecim gradibus ab Æquatore versus Arctum ut annotatur ab *Herrera*, ut autem vulgo in Tabulis Hydrographicis designatur, tredecim. Hic præcipuus hujus Præfecturæ est portus & navigiorum ex Peruvia & Nova Hispania impulsu maxime frequens.

Ab hoc portu ad sinum *Guatimala* XII numerantur leucæ, tendendo versus occidentem; à sinu vero *Guatimalæ* ad fluvium *Xicalapam* leucæ septem.

Ad Mare Septentrionale hæc Præfectura nullum habet portum, quum extremi illius limites ad minimum quadraginta leuc. ab illo Oceano absint: merces tamen Europeæ

Europæ per Fretum dulce, ut vocant, ex intimo Hondurenfis sinus gremio subvehuntur ad mediterraneam stationem, quam vulgo *El puerto de Golfo Dolce* appellant, atque inde terrestri itinere ad oppidum *S. Iacobi de Guatimala* & reliqua hujus præfecturæ oppida.

Denique XII ab oppido *S. Iacobi* leuc. juxta viam quæ ducit ad Novam Hispaniam, *Atilan* lacus visitur, x leucas ambitu suo comprehendens, patensque in latitudinem quatuor, inexploratae altitudinis. Atque hæc de Præfectura Guatemalensi.

H O N D U R A.

C A P. XV.

Præfecturæ Hondurenfis limites, Cæli solique qualitates.

PROVINCIA & Præfectura *Hondura*, uti ab Hispanis communiter appellatur; fines habet ad Orientem quidem *Taguzcalpam* provinciam, quam Hispani hodie vocant *Novam Estremaduram*: ad Eorum autem *Nicaraguam* & illius oppidum *Segoviam*: ad Austrum atq; Africum Præfecturæ Guatemalensis provincias; ad occidentem *Veram pacem* & *Fretum Dulce*; ad Septentriones denique Oceanum Septentrionalem. Patet inter ortum & occasum in longitudinem secundum ejusdem oceani
20 littus leucas centum & quinquaginta; in latitudinem plus minusve octuaginta; à dicto mari ad provincias quæ Mari Australi alluuntur.

Solum hujus provinciæ, aut erigitur in altos montes, aut subsidet in amœnas & fœcundas valles; quæ quondam indigenis fuerunt frequentissimæ, nunc ob intestina bella & mutua excidia à rarioribus barbaris incoluntur: rarissimæ hîc planicies visuntur. Agri non modo Mayzii, (quod ter in anno, uti & pisa, serere dicuntur & metere) sed & tritici fertiles, & pascendis animalibus idonei. Auri atque argenti metalla in visceribus terræ abscondita, licet indigenis olim aut ignorata aut neglecta. Deniq; omni annonæ genere abundat regio, imprimis melle atque cera. Fert autem hæc regio ingentem pulcherrimarum cucurbitarum copiam, quæ quum ab iis qui primi hujus provinciæ oram lustrarunt in mari fluitantes essent deprehensæ; mare hoc *Golfo*
30 *de Hibueras* & provinciam ipsam *Hibueram* appellarunt, (Insulares enim Hispaniolæ cucurbitas appellabant *Hibueras*;) sed postea ab altitudine maris juxta præcipuum hujus provinciæ Promontorium, *Honduræ* nomen provinciæ impositum, quod priore illo obsoleto hodieque perennat.

Præcipuus hujus provinciæ fluvius *Haguaro*, qui haud longe ab oppido *Truxillo* labitur, grandis & amœnus: ad utramque ripam adsident plures barbarorum pagi; quorum agri bene culti, utpote qui è fluvio opportune rigantur. Cæteri amnes sunt minores, quorum unus qui *Chamalucon* à barbaris vocatur, *Commyaguam* præterlabitur, interfecatque suburbanum agrum *S. Petri*: alter appellatur *Vlua* qui viginti leucarum spatio per amœnissimas ripas & bene cultum atque habitatum solum in Oceanum Septentrionalem descendit. Omnes autem hujus Provinciæ fluvii statis anni tempestatibus ripas suas egrediuntur, & vicinis agris se superfundunt, atque ita non modo pascua, sed & hortos atque viridaria rigant atque fœcundant: quod ut plurimum circa festum *S. Francisci* aut *S. Michaëlis* solet accidere.

Veteres harum regionum indigenæ solum longuriis fodiebant, supra & infra recurvis, quo facilius manibus pedibusque anniterentur: admodum tamen parce sementem faciebant (mira quippe gentis fœcordia atque segnities) quare ut plurimum aut cum fame luctabantur, aut variis radicibus, omnisque generis animantibus etiam impurissimis vescabantur: In Symposiis suis Melicrati quodam genere ad ebrietatem
50 usque abutebantur, ebriique multis sceleribus & abominandis vitiis sese polluebant: primoribus solis tum *Cacao* potu licebat uti, nunc omnes promiscue illum usurpant: & Hispanorum consuetudine civilius & cultius didicerunt vivere, & gravioribus flagitiis abstinent. Variis & diversis linguis utebantur, *Chontalium* tamen maxime erat inter eos communis, feræ gentis & moribus maxime incultis: Annum octodecim mensibus desiniebant, *Ioalar* sua lingua appellantes, quasi dicas rem fluxam & verentem; menses singulos viginti diebus absoluebant, licet noctium vocabulo distinguere

Haguaro fl.

Chamalucon. fl.

guerent, quod hodieque Anglis & aliis quibusdam nationibus Europæis per familiare est: Annum quadraginta diebus ante nostrum inchoabant, ita ut primus tertii eorumdem mensis dies in Calendas nostras Januarias incideret.

Bartholomæus de las Casas Episcopus Chapensis in sua ad Carolum V Imperat. querela, amarè deflet, duas myriadas animarum intra paucos annos in hisce regionibus ab Hispanis fuisse extirpatas, ita ut in magnis hisce & amœnis provinciis rarissimi hodie reperiantur indigenæ; qui autem superant, fere vectigales sunt Hispanis & iis pro tributo pendunt pallia gossypina; mel quod è concavis arborum truncis & subterraneis scrobibus eruunt, Chilen sive Axi & Batatas.

Hæc provincia hodie suum habet Episcopum; quatuor Hispanorum oppida & duo municipia, de quibus ordine dicetur.

C A P. XVI.

Hondurensis Præfecturæ oppida, Valledolid, Gratias à Dios & S. Pedro.

PRÆCIPUUM hujus Præfecturæ oppidum *Valledolid*, (quod barbari sua lingua vocant *Commyaguam*) distat sexaginta leucas ab oppido *S. Iacobi de Guatemala* versus ortum, & circiter quadraginta ab ora maritima Oceani Septentrionalis, ut mirari subeat, quid *Herrera* in mentem venerit, illud ad decimum sextum altitudinis septentrionalis gradum describere, quum portus *de Cavallos* maritimum oppidum ad decimum quintum ejusdem altitudinis gradum collocetur. Situm est autem in pulcherrima & peramœna valle; sub cœlo admodum temperato & imprimis salubri: ager abundat pecore atque armentis, mirabili incremento: in finibus repertæ sunt opulentæ argentifodinæ. In hoc oppido Præfectus provinciæ, ærarii regii quæstor, cæterique regii ministri ut plurimum habitant: huc metalla quæ in vicinis provinciis effodiuntur, eliquanda subvehuntur. Hic Cathedralis Ecclesiæ & Episcopi domicilium fuit ab anno cDc Iō LVIII, à Truxillo huc traducta: denique cœnobium monachorum quos vocant *de la Mercede*.

Franciscus de Monteio hujus provinciæ Præfectus jam ab anno cDc Iō XXXIX per Legatum suum *Alfonsum de Carceres* coloniam Hispanorum in municipium *S. Mariæ de Commyagua* deduxerat, loci opportunitate plectus; quippe ab hoc municipio duodecim numerabantur leucæ, itineris expediti & carris peridonei ad pagum quendam barbarorum: quem annis præterlabitur, duodecim itidem leucarum itinere lintribus navigabilis ad portum *de Cavallos*; adeo ut municipium hoc ab utroque mari viginti sex leucas utrimque abesse contingeret. Tam opportuna sedes visa, ut municipes Regi Hispaniarum suggererent, hunc locum maxime idoneum esse commerciis utriusque maris magno compendio & summa utilitate commutandis; nam & navigationem à portu aliquo ad Mare Australe longe expeditiorem, & breviorum trajectum esse ad Peruviam Metropolin *Limam*, quàm à Panama; & quum Isthmus inter *Nomen Dei* & *Panamam* valetudine cœmeantium infamis esset & multorum exitio funestus; hic contra & aërem salubrem, solum fœcundum & annonæ omnis generis abundantiam comœtantibus peridoneum; quum & tritici fertile sit & vitium non maligne tolerans: Pecori optimum ob pascua gramine læta & crebris torrentibus rigua; denique quod rei caput erat, ditissima auri metalla magnam opulentiam spem ostendere, & municipium hoc in amœnissima valle & quatuor leucas lata conditum, omnibus terræ frugibus abundare; venationeque cervorum, cuniculorum & ejuscemodi animantium excellere. Hæc tum jactata. Haud procul ab hoc loco postea oppidum *Valledolid* conditum fuisse, verisimile est, inter duo maria, quæ hic tantum tribus supra quinquaginta leucis à se invicem separari dicuntur, à portu *de Cavallos* ad Sinum *Fonsæ* subducto numero.

Movit superiorum & haud dubio recentiorum iterata suggestio Regem Philippum, ut Joannem Baptistam Antonellum, artis Geometricæ & muniendorum locorum peritissimum, locorum situs & viarum compendia coram juberet inspicere; qui omnibus diligenter lustratis & mature ponderatis, retulit, plurima esse quæ impedirent, opere perficere, quæ verbis jactarentur, atque ita desitum est de novo hoc itinere amplius deliberare.

Gracias à Dios alterum hujus præfecturæ oppidum distat à Valledolid triginta leucas pene versus occidentem; anno quidem c15 15 xxx conditum à Tribuno militum *Gabriele de Roias*, ad necessariam metallicorum, qui auri metalla in illo tractu eruebant, defensionem; sed quum crebris & inopinatis vicinorum barbarorum excursionibus se impari cerneret, nec à Præfectis Honduræ & Nicaraguæ, ut par erat, auxilia submitterentur, rursus ab ipso fuit derelictum: anno autem c15 15 xxxvi denovo à Gonfaluvo de Alvarado cæpit restaurari. Conditum est super asperrimum cli-
 10 ad oppidum *S. Salvatoris* & vicina loca subvectant; nec carent præstantibus equis.

Tertium oppidum *S. Petri* nomine insigne, triginta itidem leucas distat ab oppido Valledolid versus Arctum vel potius Corum; undecim à portu de Cavallos; & quia portus de Cavallos morbosior est locus, ministri qui Regis vectigalia & portoria colligunt, hic ut plurimum consueverunt habitare, & quum naves dimittendæ sunt ad portum excurrere: Verum *Herrera* alibi, nescio an sui satis memor, hunc quoque locum valetudinarium facit, utpote præferuido aëre atque insalubri nihilo secius oppidum hoc commerciis frequens fuisse satis constat, donec Freti Dulcis opportunitas cæpit innotescere, quæ jam hujus luminibus multum officit.

C A P. XVII.

Reliqua oppida Præfecturæ Hondurensis, Portus de Cavallos, Truxillo & S. Jorge.

PORTUS *de Cavallos* situs est ad altitudinem, quindecim graduum Septentrionalium, ut *Herrera* prodidit: undecim à *S. Petro*, quadraginta à Valledolid leucis: hîc oppidum fuit, quod ob opportunitatem & amplitudinem portus, quem finus maris facit, à mercatoribus & nigris incolebatur; licet locus valetudine incolarum infamis esset, uti à plerisque inveni traditum. Portus nomen acceperat ab equis, qui ob ingruentem tempestatem hic à nautis projecti fuerant in mare. Vallis *Naco* (cujus jam aliquoties meminimus) abest ab hoc portu versus mediterranea leucas octo-
 30 decim; metallorum opulenta provincia, & indigenarum frequentia spectabilis: nam ut *Herrera* testatur, longe optima est totius Præfecturæ provincia, plano atque uberimo solo, & montibus undique incincto, latis semitis, vernantibus agris, & florum eleganti varietate; frugumque abundantia & amœnitate, Valentia Hispaniæ non ab-
 40 similis. Porro quum hoc oppidum *de Cavallos* aliquoties à diversis nationibus captum atque direptum fuisset, imprimis autem ab Anglis, primùm anno c15 15 xci Duce Christophoro Neoportio, qui illud penitus exhaustit, opimis admodum spoliis deductis, licet paulo ante quatuor naves ditissimis mercibus onustæ inde solvissent; constabat autem tum ut ille testatum reliquit domiciliis ducentis: Secundò anno c15 15 xcvi auspiciis *Antonii Sherley* Equitis, qui hunc locum inopem & totius Americæ miserrimum à se inventum queritur. Tam crebris hujus oppidi calamitatibus, (præsertim quia portus contra hostium invasiones minime securus est, & ita à natura comparatus ut difficulter possit muniri) factum est tandem ut oppidum penitus desereretur, & oppidani ab *Alfonso Criado de Castilla*, Conventus Juridici Guatemalensis Præfide, traducerentur ad Amatiquen octodecim à portu de Cavallos leucis: ubi hodie oppidum est *S. Thomæ de Castilla*, adversus hostiles incursus egregiè munitum.

Truxillo oppidum satis celebre, abest ab oppido Valledolid leucas lx versus aquilonem, à dicto portu de Cavallos xl versus ortum, unam autem à mari Septentrionali; portum habet reductum in intimo sinu & adversus incerta ventorum egregie tutum, cui nomen *Sant Gil*. Ipsum conditum est super tumulum, inter duos amnes limpidos atque piscosos; inque regione tam æstivis quam hybernis mensibus temperata. Ager suburbanus frumenti, pecoris, omniumque rerum copia opulentus: abundat melle & cera: armenta hic valde proficiunt, ita ut vaccæ Hispaniensibus magnitudine & bonitate dicantur præcellere. Vites bis quotannis dant uvas, nam vindemia absoluta statim putantur, atq; regerminant, fructusq; suos secundò maturant circa festû Nativitatis: deniq; peregrinæ arbores, Auratiæ, Limones & similes hîc præstantissimos ferunt fructus.

Naco
vallis.

Hoc

Hoc oppidum ex improvise fuit interceptum ab Anglis anno c1510 lxxvi. Secundoque ab iisdem tentatum anno c1510 xcvi ducibus *Antonio Sherleio & Wilhelmo Parkero*; sed irrito conatu, tumultu ab excubitoribus in urbem perlato: locus enim ut ipsi testantur, ita à natura munitus est, ut non facile aperto Marte expugnari possit, prærupto undique tumulo impositus & densis sylvis circumquaque cinctus quæ nullum iter ad oppidum aperiunt, præterquam unum præcipitem & angustum tramitem, cui porta satis valida atque munita est objecta: itaque nisi vigiles inopinantes intercipientur, nulla ad oppidum capiendum via est reliqua.

Xutical-
pa.

Duodecim ab oppido leucis jacet vallis *Xuticalpa*, auriferis torrentibus quondam scatens, ideoque anno c1510 xxx ab Hispanis Castello contra barbarorum incur-
sus munita. 10

Municipium *S. Jorge de Olancho*, abest à Valledolid xl leucas versus orientem; incoliturque à circiter xl Hispanis; in districtu illius numerantur sedecim millia barbarorum vectigalium: olim plurimum auri hic fuit inventum præsertim in fluvio *Guayape*, qui duodecim leucis labitur ab hoc oppido.

Olácho.

Vallis autem *Olancho*, à qua municipio agnomen, valde amœna est & auri venis locuples; quare diu inter Præfectos Honduræ & Nicaraguæ de possessione illius fuit litigatum, atque adeo collatis signis pugnatum, donec lis iudicio Regis Hispaniarum determinaretur.

C A P. XVIII.

29

Ora maritima, portus, Insuleque Præfecturæ Hondurensis.

OMNIS ora hujus Præfecturæ jacet ad mare Septentrionale & fretum sive sinum Hondurensis, qui inter Yucatanam peninsulam & Honduræ promontorium veluti concluditur: in interiore autem recessu vulgo appellatur *Golfo de Guanayos*, ubi lateribus utrimque adductis, & veluti in conum fastigiatus in provinciam *Verapaz* incurrit. Ora porro hæc sumit initium ad occasum à Freti Dulcis ostio, & promontorio quod vulgo vocatur *punta de Hybueras* ad altitudinem xvi graduum Septentrionalium, vel ut Tabulæ Hydrographicæ communiter designant, xv graduum & xxxv scrupulorum. Hinc versus orientem oræ paulum se subducunt, & 30 cubito rursus productæ aliud faciunt promontorium, vulgo *Cabo de tres Puntas*, juxta quod olim municipium Hispanorum fuit, *San Gil de Bonavista*, sed brevis xvi. Sequuntur deinde ad eandem plagam fluvius *Piche* & *Rio baxo*, id est, vadofus amnis; itemque *Vlua*, qui & alio nomine *Balahama* appellatur; & deinceps Portus *de Cavallos*: à quo ad flumen & portum *de la Sal* quinque sunt leucæ: Hinc rursus littus se in altum proferens, efficit promontorium, quod à municipio, quod ibidem quondam fuit, *Triumphus Crucis* nominatur: Hoc superato sequuntur aliquot ignobiles amnes & modico intervallo fluvius *Hulma*, qui & *Xagua* dicitur; denique portum oppidi *Truxillo* prætervectis occurrit promontorium quod *Delgado* vel etiam *de Honduras* appellatur. 40

Piche fl.

Ulva fl.

Hulma
fl.

Inde ora jam recto ductu pergit ad Promontorium celebre *de Camaron*; inter duo autem illa promontoria *Delgado* & *Camaron*; viginti leucarum intervallo amnes dicuntur exire sedecim; inter quos facile princeps *Guayape* è tribus fontibus intra Continentem effluens: littus omne humilior est, & multis arboribus vernans lætissimo prospectu.

Guayape
fl.

A promontorio de *Camaron* exporrigunt se, ad viginti fere leucarum spacium in altum, vadorum brevia triangulari formâ, basi quidem ad continentem versa, in alto lateribus sensim coeuntibus in angulum pene acutum fastigiata: prope basin, aliquot insulæ intercurrentibus alveis divisæ, Continenti prætenduntur; Septentrionali denique hujus ingentis pulvini lateri, scopulosæ adjacent Insulæ, quas vocant *S. Milan*. 50

S. Milan.

Præter vada hæc Continenti se immittit *Sinus Cartaginis* & ipse vadofus, crebrisque insulis vel potius scopulis intersectus: & modico intervallo alius sinus, quem *Bahiam Hondam* vocant, à Promontorio *Gracias à Dios* ad ortum clausus, quatuordecim gradibus & viginti scrupulis ab Æquatore versus Arctum. Promontorio ad Septentrionem obversantur tres minores insulæ, quas vocant *las Viciosas*; & paulo magis ad Aquilonem *Quitafuenno* & *Roncador*, infestissima navigantibus brevia. Extra quæ

magis

magis versus ortum jacent naufragiis infames insulæ, Serrana & Serranilla de quibus alibi egimus; memorabile autem est quod narrat *Yuca Garcilassus de Augustin Petro Serrano*, qui quum navem fregisset apud Serranam & solus ad illam enataisset, misere in eadem vitam toleravit carnibus testudinum marinarum integrum triennium; quo elapso socium accepit eodem modo ejectum; cum quo in eadem insula vixit alios quatuor annos & à navi forte prætereunte non sine discrimine fuerunt deducti. A Promontorio ora reflectitur versus Austrum; hanc legentes primum excipit fretum *Niquesæ*, deinde flumen *Yare* ad altitudinem tredecim graduum, quod hujus Præfecturæ & *Nicaragua* limes censetur. l. i. c. 8.
Yare fl.

10 Præter jam dictas insulas, aliæ aliquot insulæ inter Aquilonem & Africum hujus Præfecturæ littori objiciuntur, quas uno & communi nomine appellant *Guanajas* ab extima illarum ad orientem, jam olim & adhuc hodie illud nomen obtinente.

Insula hæc proprie Guanaja appellata, promontorio Honduræ ad Corum est opposita & sex septemve leucarum intervallo, ut habent itineraria nautica, ab ipso divisa, alta quidem & plana qua ortum respicit, declivis autem qua vergit ad Septentrionem & importuoso littore: ad Austrum duos quidem portus habet, sed ob crebros scopulos & arenosa vada, quæ relabente æstu extant, aditu perdifficiles: Incolitur hodieque à barbaris & paucissimis Hispanis; abundant pecorum gregibus, gallinis, psittacisque. Christophorus Columbus qui primus illam adiit, *Pinorum* insulam appellaverat ab earum arborum copia, sed gentile Guanajæ nomen hætenus retentum. Guanaja

20 Ab hac ad proximam quæ *Guayava* vel *Guayama* dicitur, à Figueredo in itinerario nautico numerantur tres quatuorve leucæ: à *Guayava* autem ad *Vtilam* quæ tertia censetur, sex leucæ: Hæc quinque aut sex leucas ambitu suo complectitur, tota humilis & nemorosa, *Saona* quæ Hispaniolæ adjacet non multum dissimilis. Præter has aliquot minores *Guajanarum* numerum augent, *Guaydua*, *Helen*, & *S. Francisci* insula, quas nominasse suffecerit. Omnes autem hæc implent Sinum illum maris quem supra de Guanajos appellari diximus. Guayava.
Utila.

N I C A R A G U A.

C A P. XIX.

30 *Nicaraguae provinciae limites, soli cœlique natura, fruges, lacus, alia.*

PRÆFECTURA Nicaraguæ (quam *Didacus Lopez de Salsedo* quondam novum Regnum Legionis appellaverat) fines habet ad occasum quidem provincias præfecturæ Guatemalensis, ad Septentriones *Honduram*, ad ortum sive Eurum *Costam Ricam*, ad meridiem denique Oceanum Australem. Patet inter ortum & occasum in longitudinem leucas quinquaginta; in latitudinem autem ubi maxime se diducit, octuaginta. Plures minores provincias sub se complectitur, quæ barbaris nominibus, *Nicoya*, *Nequecheri*, *Mabyte*, *Diria*, *Mafaya*, *Managua*, *Cocaloque* & *Cebeaco* dicuntur: pars quoque Chontalium populorum ad illam refertur; itidemque & *Micorum* atque *Madera*. 40

Rarissimi in hac præfectura sunt amnes; aëris temperies æstivis mensibus supra modum calida est, hyemalibus humida & crebris tempestatibus obnoxia. Solum ut plurimum est planum & curribus ducendis opportunum; tritici quidē infœcundum, quod è Peruvia petunt, cæterum aliarum rerum satis locuples. Armentis vel maxime abundat regio, uti & porcis: capras nutrit raras, nullas oves. Multum gossypii, plurimum *pitæ* hic colligitur: maizii, pisorum, mellis & axi affatim. Mare piscosum admodum; indigenæque plurimum optimi & candidissimi conficiunt salis.

50 Magnam harum provinciarum partem occupant ingentes sylvæ, procerissimis arboribus plenæ, præsertim *Zeybis*, quod arborum genus hic ita luxuriat, ut truncus in tantam crassitiem nonnumquam excrescat, quantam quindecim viri manibus inter se connexis complecti possunt; *Herreram* authorem habeo. Sunt & hic arbores quæ cerasorum quoddam genus ferunt, è quibus incolæ liquorem instar vini expriment. *Oviedus* scribit hos fructus ab Hispanis appellari pruna, non quod revera sint l. 9. c. 16. pruna, sed quia non nihil ad illa accedunt; cæterum speciem judicat illius arboris quam alibi vocant Hobum, de qua suo loco dicetur: quum pleræque arbores in hoc novo orbe

orbe perpetuò vireant, hæc certis temporibus omnia sua folia excutit. Idem describit arborem (vel potius ut ipse loquitur monstrum arboris) huic provinciæ perfamiliarum, quæ forma foliorum & crescendi modo à Tuna parum abludit, nisi quod truncum habeat rectiorem; cæterum foliis crassis, spinosis, deformibus: fert fructum crassum, magnitudine olivæ, colore coccineo, & subtilibus quibusdam spinis instar pilorum oblitum; è quo barbari pastam quandam componunt, quæ elegantissimo colore coccineo tingit & à fœminis in fucò usurpatur: folia autem, demtis prius spinis, contusa & emplastro applicata ossibus cõfractis, suisq; modo locis apte repositis, mirabiliter eadem consolidant: Quod à Tuna itidè præstari aut saltem illius specie scribit *Fr. Ximenez*; Recordor (inquit) me legisse in libello admodum antiquo, arboris quæ in montanis nascitur, quam vocant *arbol de las Soldaduras* (id est ferruminatricem) & barbari *Zacanohtli*, (quæ est species Tunæ;) folia contusa & emplastro applicata ossibus cõfractis, brevi & facile illa consolidare; quod credo effici à qualitate illius glutinosa frigida & astringente. Hæc ille; Non multum autem aberraverit, qui crediderit *Oviedum* & *Ximenem* de una atque eadem arbore loquutos. Cucurbitæ lagenariæ, quadragesimo ex quo satæ sunt die maturantur, quarum maximus hic est usus, ob aquarum & fontium in hisce regionibus inopiam, nec quisquam facile sine hisce iter paulo longius aggreditur. In saltibus denique & nemorosis montium jugis, balsamum, liquidambar, & præstantissima colligitur terebinthina.

L. 10. c. 1.

In vicino mari ingentia cete & monstruosos pisces olim conspectos narrant: *Oviedus* autem ad littus hujus provinciæ, in sinuoso *Ortigua* freto & apud insulas, *Chiram*, *Charam*, *Pocofin* & alias, haud procul à Promontorio *blanco* sitas, uniones reperiri in conchis quibusdam, à margaritifera forma & magnitudine multum diversis, rotunditate veris quidem pares, colore tamen & splendore plurimum inferiores, quibus tamen mercatores, insigni fraude, veras adulterare consueverunt: conchæ oblongæ, quas barbari stipiti alligare, eisque terram subigere solebant.

Chontales.

Plerique indigenæ jam linguam Hispanorum callent, eorumque mores & vestitum æmulantur; præter *Chontales*, qui in montanis degunt, agreste & incultum hominum genus, qui nihil dum de prisca barbarie remiserunt; cæteri jam pene omnes artes mechanicas percillant, quum & ingenii solertia inter barbaros excellant, & Hispanis supra modum dediti atque obnoxii jam dudum fuerint.

Inter memorabilia hujus Præfecturæ eminent Lacus, (quem Hispani *Laguna de Micaragua* vocant,) tum ob vastitatem, nam si indigenis fides, supra centum & triginta milliaria ambitu complectitur, tum ob accolarum multitudinem, qui vicatim ripis illius assident; æstum suum haud secus patitur quàm mare, & licet caput illius haud longius tribus quatuorve leucis ab Australi Oceano absit, tamen in Septentrionalem se exonerat per emissarium, de quo mox dicemus. *Alfonfus Calera* & *Didacus Machica* de *Zuaso* primi Hispanorum, superatis cataractis (los *Randales* vulgo vocant, ubi aqua adeo perniciousiter decurrit, ut cymbas in terram subducere atque ita deducere necesse sit) in emissarium atque inde porro in mare Septentrionale penetrarunt. Piscosus est Lacus & ingentem nutrit Crocodilorum numerum.

C A P. XX.

Oppida Hispanorum in Præfectura Nicaragua.

CIVITAS hujus Provinciæ atque Præfecturæ principalis Legio (*Leon de Nicaragua* vulgo) centum quidem & quatuor leucas abest ab oppido *S. Jacobi de Guatemala* versus Eorum; duodecim autem à mari Australi: sita est ad oram magni illius Lacus, de quo jam diximus. Hic Præfectus seu Governator Provinciæ & reliqui Regis ministri sua habent domicilia; hic Cathedra Episcopi Nicaraguensis, cum suo templo & aliquot religiosorum *de la Mercede* monasteriis: in Diœcesi autem supra centum & viginti millia barbarorum qui annuatim Hispanis tributum pendunt, dicuntur habitare. Tribus autem ab oppido leucis ad Septentrionalem Lacus oram, præaltus cernitur mons fastigiato vertice, vasto ore desuper patens, vespera atque mane

mañe deniffimum fumum exhalans, pumicesque sulphureos magna copia eructans: Vulcanum vulgo vocant: Terrâ hujus montis cum succo *Nacolor* (arboris cujusdam fructum ita vocari ferunt) mixtâ, optimum fit atramentum. Quatuor ab hoc leucis in provincia *Mafaya* pene ad radices alterius Vulcani, lacus jacet exiguus rotundus, & ultra mille cubitos in profundum depressus, præceps & rupibus undique cinctus, ad quem tamen barbari maximis hydriis onusti descendunt, rursusque ascendunt tam dextrè ut incredibile videatur. Cæterum hæc urbs condita est loco arenoso, densis undiquaque lucis circumsepta; non inidonea olim existimata commerciis inter utrumque mare commutandis, quippe quæ tantum septuaginta leucas distet à
 10 Promontorio Hondurenfi, itinere satis expedito (si modo Hispanis distantia satis explorata) & medio fere intervallo vallem habet *Olancho*, de qua supra diximus in provinciæ Honduræ descriptione.

Secunda hujus Præfecturæ civitas *Granada*, juxta eundem Lacum ædificata, se-
 20 decim à Legionem, viginti quatuor autem à Reialeio leuc. Provincia in qua sita est olim à barbaris appellabatur *Nequecheri*. *Franciscus Hernandez Cordubensis* hîc magnificum templum & munimentum adversus barbaros construxit. Sita autem est urbs in amœnissimo & uberrimo solo, & cannarum sacchari feraci; unde hic aliquot machinæ ab Hispanis excitatæ, quas *Ingenios* vocant. Non procul ab urbe minor Lacus, à barbaris *Lindiri* dictus, in majorem illum se exonerat. Duabusque ab hoc
 20 Lacu & septem ab urbe leucis, ingens Vulcanus quem *Mumbacho* vocant, vastè artollitur, nemoroso jugo & fructiferarum arborum feracissimo; quibus & tota illa provincia mirifice abundat, inter quas famam meruerunt Zapotes, Plantani & Anones, quarum fructus imprimis laudant, mespyla suavissimi saporis, cerasa atque Jacotes, è quibus barbari vinum, Hispani autem acetum exprimunt. Ferarum ingens hîc copia & venatio perquam opportuna.

Tertia urbs nova *Segovia* ab utroque prædictarum triginta leuc. versus Septentriones discreta, in agro aurum venarum ditissimo.

Quarto *Iaën* triginta ab Oceano Septentrionali leuc. ad Lacus Nicaraguensis fauces, per quas longo & angusto, fluminis in modum, meatu, aquas suas in Oce-
 30 num egurgitat; *El desaguadero* vocant Hispani, & merces Europæas inde à Portu Belo petitas per hunc canalem ad hanc urbem & loca vicina subvehunt. Municipium denique *Reialeio*, unâ à portu, quem *Possessionis* vocant, leucâ, viginti quatuor autem à *Granada* distans; ab Hispanis quidem ad altitudinem undecim graduum & semissis collocatur; ab Anglis autem, qui cum Candischio orbem circumnavigarunt, ad altitudinem duodecim graduum & quadraginta scrupulorum (si modo *Rio Lexo* ut illi scribunt, idem locus cum *Reialeio* tutò judicatur.) Hîc fere nautæ & fabri degunt; nam & rutissimus est portus, juxtaque materies ad naves fabricandas aptissima facile cædi potest, nulloque pene labore ad littora deduci.

40

C A P. XXI.

Orarum ductus, Stationes, Portusque Nicaraguae.

OR A maritime hujus Præfecturæ ad Mare quidem Septentrionale exordium sumit à fluvio *Yare*, qui illam ab Hondurenfi determinat ut supra diximus. Hunc sequitur ad eandem plagam *Yarepa* fluvius, deinceps portus *S. Ioannis* (ita vocant emissarium magni Lacus Nicaraguensis quo in Oceanum Septentriona-
 50 lem exit) cujus ostio modica insula prætenditur: & denique plures amnes quos cum Provincia *Costa Rica* communes habet. Quum Castellæ Reges ante Fretum à Magallane inventum, tantopere solliciti essent de idoneo loco investigando ad commercia utriusque maris commutanda, magna imprimis hujus emissarii ratio habita, suggerentibus præcipue Hispanis qui in Nicaragua agros sortiti fuerant anno cIo Io xxxiv, ob patens illius ostium & fluvio qui Hispalin præterlabitur haudquaquam impar, & ripas utrimque à diversis nationibus insigni frequentia cultas, fertiles denique agros & omnium rerum necessariarum affluentiam: sed irritus conatus consilium illorum minus laudabile fecit.

Ad mare autem Australe, præter *Reyaleio* portum, de quo supra, portus designatur *S. Jacobi* & mox portus *Nicoya* (quæ peculiaris est Nicaraguæ provincia amœnissimo & uberrimo solo) quem barbari suo idiomate *Chiram* vocabant & Hispani superioribus annis *S. Luca* nomine insigniverant: amplissimus hic est sinus & viginti leucarum ambitu patens; quamplurimasque insulas gremio suo complectitur. Hunc alius sinus excipit, qui à Salinis nomen accepit, in quo portus est *Paro* è regione *Nicoyæ*. Deinceps ora in Altum exiens prius Angulum seu cornu *S. Lazari* & mox Promontorium *de Borica* producit: ab hoc ad ortum Continenti prætexuntur Insulæ *S. Maria* & *S. Martha*, *Cobaya* & *Zebaco* ad limites usque Veraguæ.

Zebaco. Porro Insulæ *Zebaco*, ita enim communi nomine videntur appellari ab Hispanis triginta numero esse feruntur, qua magnæ, qua parvæ, sexaginta circiter leuc. à portu Panamæ versus occidentem, olim indigenis frequentes.

Fullerus Anglus Promontorii Blanci meminit ad altitudinem decem graduum & totidem scrupulorum Septentrionalium, & hunc oræ maritimæ tractum ita disponit.

A Promontorio Blanco ad portum *de Veles* VIII mill. inter Aquilonē & Africum:

A Portu *de Veles* ad portum *S. Ioannis* XVII milliar. inter Eurum & Corum:

A Portu *S. Ioannis* ad *Rio Lexo* XL milliar.

Fortissimus Eques *Franciscus Dracus* facit mentionem Insulæ *Cano* (ubi navem suam onere levatam subduxit in siccum & reparavit) ad altitudinem octo graduum Septentrionalium, duabus à Continenti Nicaraguæ leucis: percommodum habet portum & quinque orgyas sub ipso pene littore altum.

C O S T A R I C A.

C A P. XXII.

Costæ Ricæ limites, oppida, cetera: itemque Nicoya provincia.

PROVINCIA atque Præfectura *Costa Rica* fines habet ad occasum quidem & Septentriones *Nicaraguam*, ad orientem vero *Veraguam*, utrimque autem & ad arctum & ad meridiem Oceano concluditur: Patet in longitudinem (nisi *Herreram* hic ratio fefellerit) leucas nonaginta ab ultimis Nicaraguæ finibus ad orientem, ad *Veraguam*: nusquam latior quadraginta aut quinquaginta leucis. Ager fertilis, neque auri atque argenti metallorum expers, uti variis indiciis sibi persuadent Hispani. Tria tantum, qua oppida, qua municipia ab Hispanis in hac provincia habitantur: quorum primum *Aranívez* municipium ad Nicoyensem ditionem refertur, in finibus barbarorum qui *Chomēs* appellantur, conditum, & quinque circiter leucis à præcipuis eorundem pagis separatum, paucioribus à mari Australi.

Alterum, *Cartago* oppidum, quadraginta leucis à *Nicoya*, viginti ab Oceano australi & pene medium inter utraque maria, ita ut portum ad ambo obtineat.

Tertium *Castro d' Austria* dicitur, quod quum in Tabulis suis Geographicis expresserit *Herrera*, nusquam tamen in descriptione sua aut alibi vel levem illius facit mentionem.

Chira. Inter fines Nicaraguæ & *Costæ Ricæ* sita est *Nicoya*, quadraginta & octo leucis ab oppido *Granada*, ad oram Oceani Australis, regiturq; à Præfecto Nicaraguæ per Legatum. Porro in hujus oppidi agro atque adeo provincia *Nicoya* atque in insula *Chira* quæ octo leucarum intervallo continenti hinc objacet & ad Nicoyensem pertinet ditionem, plurimi hodieque supersunt barbari Hispaniarum Regi vestigales. Olim quidem hic tractus Conventui Juridico Panamensi accensebatur, sed ab anno 1576 *Costæ Ricæ* fuit adjunctus, licet Legatum à Nicaraguensi Præfecto in civilibus, Vicarium autem in Ecclesiasticis ab Episcopo Nicaraguensi accipat: modicum habet portum ad mare Australe.

Hiscæ locis olim Colonia Hispanorum fuit *Bruxella* dicta, quam postea desertam oportet fuisse, nulla enim vestigia hodie illius extant.

Sunt alii & inter illos Lupus Vazius Lusitanus, qui testantur provinciam *Costam Ricam* montensem esse regionem, vastam atque incultam: quod si verum est, male nomen suum tuetur. Quod superest, ad oram maris Septentrionalis sinum habet

unum

unum *S. Hieronymi* nomine insignem; itemque alterum, de *Carabaco* vulgo dictum, ad limites *Veraguæ*. Ad mare vero Australe præter *Nicoya* portum, varios sinus, promontoria & insulas à Promontorio *Blanco* ad Angulum de *Borica* & ultra, quorum omnium superiori capite meminimus.

V E R A G U A.

C A P. XXIII.

Veraguæ Præfecturæ limites, Cæli solique qualitates, Columbi navigationes ad eandem.

10

Veraguæ provincia quæ Guatemalensis præfecturæ & Conventus Juridici, ad orientem extrema est; fines habet ad occasum quidem *Costam Ricam*, ad orientem vero Panamensem Conventum Juridicum. Alluitur utrimque oceano, oraque illius Septentrionalis attingit circiter decimum ejusdem altitudinis gradum. Patet in longitudinem inter ortum atque occasum leucas quinquaginta, in latitudinem inter Arctum atque Austrum, ubi minimum, viginti quinque.

Solum maxima sui parte montense, & densis arborum lucis, crebrisque vepretis pene invium, pascuorum inops, ideoque pecori & armentis inidoneum: neque tritici neque hordei ferax, Mayzii utcunque fertile uti & herbarum atque olerum: Metallorum vero, præsertim auri, locuples, quod hic passim effoditur atque è rivis torrentibus amnibusque hauritur. Indigenæ bellicosi & audaces, Hispanorumque ut plurimum hostes, quorum jugum admodum impatienter tolerant.

Primus hanc regionem adiit *Christophorus Columbus* anno c15 15 11, à Promontorio *Gracias à Dios* provinciæ Hondurenensis ad Orientem revector; primoque applicuit ad Insulam *Quibiri*, herbidam atque arboriferam; deinde unius leucæ trajectu ad Continentem *Cariari*, cujus indigenas satis cultos repperit & urbanis moribus; Solum pulcherrimis montibus & apricis collibus editum, amœnisque nemoribus undiquaque opacum, & limpidissimis amnibus riguum. Pagus *Cariari* situs erat ad ripam amnis, & à frequentibus barbaris cultus; qui cum arcibus atque sagittis, itemque ligneis gladiis obviam ruentes, aliquandiuque Hispanos finibus suis arcere conati, tandem autem blanditiis & munusculis deliniti, illos receperunt & commercia aperuerunt. Hinc porro ad Orientem provector *Columbus*, attigit *Caravarum*, amplissimum sinum & admodum piscosum; qui tres in latitudinem, sex in longitudinem leucas patebat: Insulæ faucibus objectæ, per quatuor angustos sed satis altos canales, admittunt naves in interiorem sinum, in harum unam exscensione facta, plures reppererunt cymbas uniligneas: Incolæ fere nudi agebant, præter fœminas, quæ pudenda velabant; monilia hic aliquot aurea deprehensa, quæ barbari haud inviti pro æneis tintinnabulis permutarunt; magnam hujus metalli copiam in proxima Continenti reperiri indicantes. Hinc digressus atque *Aburena* regione obiter salutata, quæ à præcedenti nihil differebat, post duodecim leucarum iter ingrediuntur amnem, frequentibus barbarorum pagis ad ripas cultum, à quibus paucillum auri acceperunt: inde ad *Catibam* ventum ubi amnis in mare egreditur: & paulo post ad *Huriram*, cujus incolis aurum tam vile erat, ut xc marcas triginta sex æneis tintinnabulis, ut Hispani narant, commutarent.

Ab *Hurira* digressos excepit *Cubiga*, nullo auri commercio: *Columbus* autem versus orientem provector, quum portum *belum* jam superasset, aura vehementius ab Oriente obnitente, cursum reflexit & ad occasum vela vortere fuit coactus: deinceps horrenda tempestate ab Occidentali plaga ex improvise exceptus & novem continuis diebus jactatus, magnum adiit discrimen, atque ob hanc causam universam hanc oram appellavit *Costa de los Contrastes*. Januario demum anni c15 15 111 ineunte offendit flumen, quod barbaris *Yebræ*, ipse *Belen* appellavit: huic unius tantum leucæ intervallo proximum erat alterum flumen, quod Indigenæ *Veraguam* nominabant; à quo deinceps Provinciæ huic nomen hæsit apud Hispanos. Barbari qui *Yebram* accolebant, profitebantur maximam auri copiam esse in *Veragua*; verum utriusque fluminis ostio explorato, consultius visum *Belen* subire, cujus

Cariari.

Caravarum.

Aburena.

Catiba-Hurira.

Cubiga

Yebræ.

Veragua.

alveum altiorem deprehenderant. Fratrem tamen suum Veraguam exploratum dimittit Columbus; qui adverso flumine cum cymba sua subvectus, ad pagum *Quibia* Reguli ascendit, & plurimum auri accepit pro mercibus quibusdam Europæis vilissimi pretii. Vigesimo autem quarto Januarii, flumen *Velen*, aquis illius mirum in modum auctis, ex improvise ita intumuit, ut naves in summo versarentur discrimine & parum admodum abessent à naufragio. Hoc aquarum diluvium è montibus descendere visum, qui supra Veraguam tam altis jugis eminent, ut à viginti leucarum intervallo eminus conspiciantur, *S. Christophori* nomen illis inditum. Hoc periculo defunctus Columbus rursus Germanum suum ablegat ad *Quibiam*; qui illum ad *Vrira* metalla deduxit, adeo opulenta ut inter radices arborum, quibus regio penitus obsita est, auri ramenta passim eruerent: ad hæc pertinet ejusdem nominis amnis, qui in Septentrionalem Oceanum egreditur sex septemve leucis à flumine *Belen* versus occidentem; Veraguæ autem metalla longe propiora sunt, uti postea constitit. Columbus hac auri copia illectus, locum coloniarum ad ripam fluminis *Belen* delegerat, haud longè ab illius ostio eumque jam cæperat communire; quum pluviis cessantibus, fluminis alveus tam exilis derepente fuit factus, ut navibus exitus negaretur; & tam diu hic subsistere cogeretur, donec flumen rursus pluviarum accessu impleretur; itaque quum animadverteret ægerrime se suos hic sustentare posse, omnes licet invitissimus abduxit.

C A P. XXIV.

20

Oppida & municipia Hispanorum in Veragua, ora maritima, Insula adjacentes.

COLONIAS aliquot jam olim in Veraguam provinciam deduxerunt Hispani, quas hic ordine recensebo. Primò, oppidum *la Concepcion* distat à *Nomine Dei* quadraginta leucas versus occidentem, haud procul ab ora maris conditum, quæ arctoam plagam respicit: Hic Præfectus habitat, cæterique Regii ministri, qui à Conventu Juridico Panamensi solent constitui.

Secundò, Municipium *la Trinidad*, sex leucis ab oppido *la Concepcion* versus ortum; secundum oram maritimam ductum (terrestre enim iter impeditissimum est & fere 30 invium) ad ripam fluminis *Belen*, circiter tribus ab Oceano Septentrionali leucis.

Tertiò, oppidum *S. Fidei*, duodecim leucarum intervallo ob oppido *Concepcion* versus Austrum; hic potissimum aurum liquatur, funditurque; Regiique ministri hic suos habent vicarios.

Quartò *Carlos* oppidum ad oram Maris Australis, haud longè à littore, verum quinquaginta (ut tradit *Herrera*) leucis ab oppido *S. Fidei* versus occidentem.

Cæterum multi indigenarum adhuc hodie in armis sunt fortiterque cum Hispanis dimicant pro libertate, ut ipsi Hispani fatentur.

Provincia hæc nullum insignem portum obtinet: ad oram quidem quæ ab Oceano Septentrionali pulsatur, habet Sinum *Carabaco* sive *S. Hieronymi*, & magis versus 40 orientem flumen *la Trinidad*, dein flumen *la Concepcion* ac *Belen*, ad cujus ripam *Columbum* jam olim in animo habuisse coloniam collocare, jam supra diximus.

Ad oram vero quæ Oceano Meridionali prætenditur, habet Promontorium *S. Mariae* itemque cornu *de Guerra*, (quod *Gomara* testatur septuaginta leucis distare à Panama,) atque hæc quidem ad orientem; ad occasum autem Promontorium de *Borica*. De Insulis quæ in Mari Australi adjacent jam supra diximus.

Supereft Insula alicujus pretii quam vocant *Escudo*, quæ Septentrionali hujus provinciarum lateri objacet, triginta leucis ab oppido *Nombre de Dios* præfecturæ Panamensis, versus occidentem; novem aut decem milliar. à Continente, ex adverso sinus, cujus gremio oppidum *la Concepcion* adsidet. Fortissimus Eques *Franciscus Dracus*, postrema sua expeditione hic anchoras fixerat: Non ambit supra duas leucas, cæterum nemorosa & perennibus limpidiissimarum aquarum scaturiginibus ubique rigua; clymatis tamen vitio insalubrior & continuis pene pluviis obnoxia. Sub australi illius latere statio satis commoda est: ab orientali denique cornu aliquot scopulorum brevina, in altum sese exporrigunt, navigantibus sedulo vitanda.

MAR DEL NORTE

NOORDT



TIERRA FIRMA
item
NVEVO REYNO
DE GRANADA
atque
POPAYAN

Hispanice leuca 17 1/2 in uno gradu.
Germanica milliaria 15 in gradu.

LINEA AEQVI NOCTIALIS

ZVYDT

THE
LIBRARY OF THE
MUSEUM OF NATURAL HISTORY
LONDON
1850